UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

Opusculum V. R. D. Iacobi Marchantii Duæa T[a]bulæ votivæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

plicationes ſolemnes, imaginum quoque & ſacrorum Pignorum circumgeſtationes, Litaniæ celebres, &c.

*Gratiæ ſunt agē da non tantùm ore ſed corde & opere.*

Cæterùm, debemus benedicere Deum non ſolùm ore & labijs, ſed & maximè corde & opere, per veram pœnitentiam cordis, & per conſcientiæ omnimodam puritatem. Propterea Iacob adſcendens ad domum Dei cum tota domo ſua & populo, vt gratias ageret, quia Dominus eum ex tribulatione multa eruerat, iubet relinqui omnia idola, & infodi ſubter therebinthum, & mutari veſtimenta. Sic & nos peccata noſtra omnia infodere debemus, ſub Crucis arbore benedicta, vt omnis à nobis maledictio tollatur, quam promeruerant peccata. Debemus mores mutare in melius, vt poſſimus Deo placere, & ad Bethel, id eſt, domum Dei cum gratiarum actione & pietate vera aſcendere.

Optat quoque ſummoperè Deus noſter, vt ex flagellis præteritis diſcamus perpetuum Dei timorem in corde fouere, ſimulq; curemus ſemper conſcientiæ puritatem per mortis memoriam conſeruare. Hoc nimirum eſt benedicere Deum, ei perfectius ſeruire ob beneficia ab eo percepta, & ipſum timere ob flagella, quæ poteſt ſubitò infligere. Propterea Tobias cùm dixiſſet: *Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam*, ſubiunxit: *Aſpicite quæ fecit nobiſcum, & cum timore & tremore confitemini illi,*

*Tob. 13.*

*Regemq; ſæculorum exaltate in operibus veſtris. Conuertimini peccatores, & facite iuſtitiam coram ipſo, credentes quòd faciet vobiſcum miſericordiam ſuam. Benedicite etiam Dominum omnes electi, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.* Hæc omnia dixit Tobias exhortans peccatores, iuſtos quoque inſtituens, & commonefaciens muneris ſui, poſt Dei accepta beneficia in tribulatione.

Sed ad Te, Domine, vota converto, & concludo, dicens: Tu benignitate tua ſerena ſemper nobis benedicere digneris, tamquam Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, benedic Sacerdoribus, benedic populo, *benedic hæreditati tuæ, rege & extolle illos vſque in æternum*, ſaluos eos faciens. Averte à nobis iram indignationis tuæ, averte flagella, ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos, ſed in miſericordia, & miſerationibus ſuſcipe nos, vt in æternum te benedicere valeamus, & dicere: *Benedictus Deus, Deus miſericordiarùm, & totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Amen.*

(***)

OPVSCVLVM QVINTVM
R. D. IACOBI MARSCHANTII

DVÆ TABVLÆ VOTIVÆ XENIORVM Symbolicorum, Prior pro felici inauguratione Admodum Reverendi Patris ac Domini D. CAROLI DE SEVERI ad Præſulatum Floreffienſem, Poſterior pro Inauguratione R. D. BARTHOLOMÆI DE BOSSVTO ad Prælulatum Laubienſem, Electorum & Confirmatorum

*Chronographicum*

sIC LVCeat LVX Veſtra, Vt gLorIfICent patreM, qVI In CœLIs eſt. *Matth. 5.*

## PRÆLOQVIVM.

### REVERENDE ADMODVM PRÆSVL.

IN gratulationes & encomia in die inaugurationis Tuæ meritò ſe tota effudit FLOREFFIA Tua, nec non & Ciuitas Namurcena. Viderer ego officio deeſſe, ſi publicæ acclamationi non accinerem pridem Tuo obſtrictus Florido Aſceterio. Sed fortè à me ſuauiſonum Muſarum cantum quis expectat!

*Sed mea nunc gracilis verſus moribunda camæna*
*Præſenti quæ grauius pangere iure negat.*

Delineo igitur lenta manu, & ſtylo aperto, TABVLAM VOTIVAM Xenijs Symbolicis adornatam, ex Sacris litteris, quæ Tibi pro Munere cedat in fauſto ac felici auſpicio regiminis Tui. Nolo de illis cenſeri, de quibus apud Pſaltem hæc deponitur querimonia. *Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos.* *Pſ 128.* Ita benedicens benedico Tibi, & rogo vt pro benedictione à me ſuſcipias *Mitram Aaronis, Rubum Moyſis, lucernam fulgidā, pomum acridulce, Clauum nauis, faſciculum è ſpicis.* His memor reddi poteris Dignitatis Tuæ, & muneris Tui in regimine. Suſcipe ergò hæc candida facie & in illis affectum Tibi ea dicantis. Faue. Vale.

Inſcriptio, Qui vocatur à Deo, induat me.

*Xenium Primum. Mitra Aaronis,*

EPIGRAMMA.

*Inſtar Aaronis Mitra Virgaque refulges,*
*Fulgida Mitra Deo, florida Virga placet,*
*Gemma tegit pectus, cingit caput Aurea Vitta:*
*Aurea Vitta placet, Forida Vita magis.*
*Vita ferat florem, flos fructum, fructus odorem,*
*Inſtar Aaronis iure vocatus eris.*

*Syntagma ex Scripturis Sanctorū Patrum dictis. Num. 20*

DEfunctus eſt AARON pia morte, quaſi in brachijs Domini, in celſo Monte. Qui Deo vocante dignus fuerat Sacerdotio fungi, debuit eo revocante defungi Veſtibus ſuis exutus eſt, vt illis inveſtiretur filius Eleazarus, in cuius oculis expirauit. Si credimus Hebræis, Moyſes & Eleazarus, comi-

comites Aaronis in Montem. Tria ibi præparata
repererunt cœlitùs.
*Speluncam, Lectulum, Lampadem.*
Prædeceſſor tuus, Vir ſanè præclarus, & memoria
omninò dignus, ad Prælaturæ FLOREFFINÆ Di-
Heb. 5. gnitatem *Vocatus videtur fuiſſe à Deo, tamquam
AARON*, quam & ſapientiſſimè & pientiſſimè ad-
miniſtrauit triginta tribus circiter annis, adeptus in
ea Menſuram ætatis plenitudinis Chriſti? donec
occurreret ei in Virum perfectum. Nunc in LE-
CTVLO ſibi præparato obijt: in SPELVNCA ad Mo-
numentum electa conditus eſt: in MONTE, ſeu Vir-
tutum defunctus eſt vertice: in Oculis tuis expira-
uit, Nec ſine LAMPADE mortuus eſt, qui ſine LAM-
PADE non vixit. Ipſe quoque inſtar Aaronis Veſtem
Sacerdotij, Pallium Dignitatis, Infulas Honoris ti-
bi reliquit Hæredi cum ſpiritu vnctionis; quibus vt
Filius ab eo in Religione genitus, & in Diſciplina
ſancta eruditus, exornetis. Effice ergò vt verum ſit
Eccli. 30. illud Sapientis: *Mortuus eſt pater, & non eſt Mortu-
us: Similem enim ſibi reliquit poſt ſe: Defenſorem do-
mus ſuæ, & amicis reddentem gratiam.*
Reliquit autem Tibi Hæredi LAMPADEM ſanè
illuſtrem, quam Polymixos rectè appellauerimus,
hoc eſt varijs Virtutum lucentibus Ramulis coruſ-
cantem, & ipſos angulos angulis ſuis colluſtran-
tem. Dicam igitur non abſimiliter quàm olim apud
Stadiodromos:
*Tandem quem dederat curſum Deus, ipſe pere-
git:*
*Pertigit ad Stadij metam, Tibi Lampada tradit.*
Accipere ſoliti fuêre olim Stadij curſores à Præfe-
cto ſeu Agonotheta, Facem accenſam: Stadioque
emenſo, illam tradebant alteri, & ſic viritim alij
alijs. Is autem, in cuius manu extinguebatur, infau-
ſtus habebatur & inglorius. Abſit vt de illis cenſea-
ris, ſed Lampadem Tibi traditam iugiter conſerua
flammantem, vt currere poſſis etiam in obſcurilu-
nio & pupilla caliginis.
Zach. 4. Certè peroptamus de Te & de ipſo canere: *Iſti
ſunt duo Filij olei, & ſplendoris, qui aſſiſtunt Domi-
natori vniuerſæ terræ.* In die inaugurationis Tuæ
inſtar Filij ſplendoris benedictus es in medio Can-
delabrorum promicantium. Ibi veſtitus es *Podêre
& Auro*, vt ſis ſimilis non ſolùm Aaroni, ſed etiam
Apoc. 1. Filio Hominis Apocalyptico: Nec defuit *Faſcia pe-
ctoralis Zonaque ad Mamillas*, caſtimoniæ Teſſera
ſacra, Gemmeus quoque ac collucens Annulus in-
ſertus eſt dexteræ Tuæ, quaſi *Symbolum Stellarum*,
quas manu gereres, Symbolum lucidum & Aſtræ-
um Infulæ etiam appoſitæ ſunt vertici, celſæ inſi-
gnia Dignitatis. Nec vſque ad Pedes defuêre orna-
Eph. 6. menta, *vt calceatus ſis in præparationem Euangelij
pacis.* Denique Vox in Choro reſonans apprecata
eſt Tibi Annos multos, vt *Capilli Tui fiant ſicut
Nix & Lana candidi*, ſicque tandem poſt æuum
felix illud Poëtæ poſſis occinere:
*Jam mea Cycnæas imitantur tempora plumas.*

Quid ſibi volunt hæc omnia, niſi vt ſis FILIVS
SPLENDORIS, aſſiſtens Dominatori vniuerſæ terræ
& FILIVS OLEI? Omnia lucem, omnia vnctionem,
omnia ſpirant candorem. Omnia hìc fulgida ſunt
& florida, omnia magnificentiæ & gloriæ plena.
Ea propter MITRAM AARONIS Tibi in Xeni-
um ſacrum & Munus ſymbolicum repræſento, vt
eam plenè inſpicias, Titulosque eius honorificos
Tecum ipſe expendas, & quidem in Siclo & Pon-
dere Sanctuarij: ſicque Dignitatis & Muneris Tui
haud reddaris immemor. Hos ſic exprimit Sapi-
ens. *Corona aurea ſuper Mitram eius; expreſſa ſigno* Eccli. 45.
*ſanctitatis, & gloriæ honoris: opus virtutis, & deſide-
ria oculorum ornata.* Effulgebat ſcilicet ſuper Mi-
tram Corona, in modum ſigilli ſanctè ſcalpturata,
ornamento honorifico & eximio opere, oculo-
rumque decoro ac ſpectabili oblectamento. Atten-
de hìc quatuor Titulos, Dignitatem in eo glorio-
ſam, Poteſtatemque demonſtrantes, ſed ſimul Per-
fectionis requiſitæ indices En quaternio:
*Signum Sanctitatis, gloria honoris, Opus virtutis,
deſideria oculorum ornata.*
Hos titulos attendens, adſpira ad Sanctitatem:
Redde Deo Gloriam & Honorem: Conſerua in Te
Opus virtutis, Oculos intuentium & Deſideria
eorum allice fulgore perfectionis, Numquam ob-
liuiſcaris aureæ Laminæ in fronte pendulæ, nec in-
ſcriptionis eius, SANCTVM DOMINO.
Neque ſolùm Tibi repræſento Cidarim Aaro-
nis, ſed omnes Sacerdotij eius Veſtes, vt eas explo-
res, à capite vſque calcem eum circumſpiciendo,
& ſimiles Tibi convenire pernoueris. Non ergò
Tibi deſit *Aurum* ſapientiæ promicantis: nec *Hya-
cinthus* cœleſtis converſationis: nec *Purpura* regiæ
fortitudinis: nec *Coccys bis tinctus* in Tinctura du-
plicis charitatis: nec *Rationale* doctrinæ & verita-
tis: nec *Ephod aut Superhumerale* ſinceræ compaſ-
ſionis & ſupportationis: nec perſeuerantiæ *Poderis
cum Byſſo* candida puritatis. Hæc omnia reperie-
bantur in Veſtimento Aaronis, erantque ſymbola
eorum, quæ reperiri debent in mente, & in veſte
interna Sacerdotis.
Illud quoque planè Tibi convenit, quod de
Oniæ filio Sacerdote inclyto expreſſit Eccleſiaſti-
cus: *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctita-
tis amictum. Et circa illum Corona fratrum: quaſi
plantatio Cedri in Monte Libano. ſic circa illum ſte-
terunt quaſi Rami Palmæ, & omnes Filij Aaron in
gloria ſua.* Tuum eſt eminere inter cæteros in-
ſtar Cedri ſublimis in Monte Libano, hoc eſt, in
Monte Candidationis & Dealbationis. Talis
Mons eſt FLOREFFIA. Tua cum Alumnis Candi-
dis & Albatis. Tuum eſt proceræ inſtar Palmæ
verſus cœlum exurgere ſemper, Fratribusq; Tuis
ac Filijs, velut ſurculis & ſtolonibus ex te & circa
te exorientibus, inſtar Coronæ glorioſæ, circum-
cingi. Illi ergo ſint *ſicut nouellæ Oliuarum*, aut Pal- Pſ. 127.
marum, *in circuitu Menſæ Tuæ.* Sintq; tamquã filij
Aaron

Aaron in gloria ſua, à Te decus & gloriam mutuantes. Virtutis Tuæ ſeduli imitatores. Tu eſto Aaron, non ſolum Gradu & Veſte honoris, ſed etiam profeſſione ſanctitatis. Eſto Cedrus excelſa: eſto *Oliua in domo Dei fructifera*: eſt Palma frondoſa & florida, memor illius: *Iuſtus vt palma florebit, & ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.*

*Pſ. 51.*
*Pſ. 91.*

Atque vtinam Tibi tandem contingat quod B. Iuliano, Præſuli Concheſi apud Iberos, cuius cum electionem portendiſſet Maria & Baculus Paſtoralis in baptiſmo apparens, morituro apparuit Virgo Deipara, Angelorum & Virginum choris ſtipata, cantantium: *Ecce Sacerdos magnus qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus.* Poſtmodum ad eum converſa B. V. dixit: *Accipe ſerue Dei Palmam in ſignum virginitatis, quam iugiter intactam conſeruaſti.* Quapropter mox à morte viſa eſt ex ore eius prodiens Palma niue candidior, quæ concinentibus pariter Angelis in cælum ferebatur. Hanc Tibi Palmam in cælum exurgentem voueo, quæ deeſſe non poterit poſtmodum, ſi nunc verè valeamus dicere de Te, benedictionis Tuæ omnium ſignantes.

*Franciſcus Eſcuderus in vita eius. Cornel. in c. 44. Eccli.*

VoCatVs à Deo tanqVaM Aaron
eXVrreXIt.

---

*Xenium Secundū. Rubus Moyſis.*

Inſcriptio. Inter Spinas cautè ambula.

## EPIGRAMMA.

*Nemo adamat Spinas: at ſunt quandoque ſalubres*
*Punctio de Spinis, vnctio & ipſa venit.*
*Prodit ex illis Moſis benedictio quando*
*Voce Dei eligitur Dux Columenque gregis.*
*Sic quoque de Spinis tua ſit benedictio. Noſtri*
*Nam venit è ſpinis vnctio ſacra Ducis.*
*E Crucis ipſe Rubo, totus rubicundus amore,*
*Inſtituit ſub ſe quos cupit eſſe Duces.*

*Syntagma Ex Scripturis & Sanctorum Patrum dictis.*

Multi intuentur eminus Dignitates ceu Flores Roſasque ob ſpeciem amabiles. Illos qui ad eas evecti ſunt, in Floribus ambulare & cubare autumant, & quidquid calcant, Roſas eſſe. Etenim auctoritate pollent, opibus abundant, honore afficiuntur, gloria fulgent, famulitio cinguntur, delicijs indulgent & cupedijs. Quid pulchrius; Quid optabilius? At hi qui intuentur Dignitates cominus, aliter opinantur, quia cernunt ſenticoſos aculeos hic ſublatentes. Infulæ enim & Tiaræ non ſolum Auro floridisque Sertis ſunt ornatæ, ſed etiam ſpinis pungentibus coronatæ. Foris quidem circumferunt lenocinantem cum pulchritudine celſitudinem: non produnt autem lancinantem intus cum tædio & mœrore ſollicitudinem. Qui cæcigeni non ſunt, nec leproſi, quia oculos habent & ſenſu non carent, hoc vident, hoc perſentiſcunt. Agnoſcunt in celſo vertice honorum pereuntem vanitatem florum: agnoſcunt & ibidem permanentem veritatem ſpinarum. Quiſquis ſapit, in medijs blandimentis erigit aciem mentis, & ſuperna ſuſcipiens, inferiora hæc omnia quantumuis ſublimia cum ſeipſo deſpicit. Sic S. Norbertus ad Præſulatum Magdeburgenſem, Procerum omnium Populique votis electus, haud intumuit tanto honore: ſed cùm ad ſuum Palatium duceretur, nudis, vt ſolitus erat, incedebat pedibus, paupereque veſte contectus. Quapropter à cuſtode ianuæ, electionis eius ignaro, quaſi mendicus & inops repulſus eſt. Cui ipſe. hoc deſpectu gaudens, comiter reſpondit. Verè melius me noſti, & perſpicatiori oculo intueris, quam hi qui ad alta hæc me compellunt Palatia.

*Surius in vita eius.*

Memorabile etiam eſt illud S. Petri Tarantaſij, qui ad Epiſcopatum evectus, cum ſe cerneret ſæculi honoribus favoribusq; circumſtuum dicebat ſibi ipſi: *O doxa doxa inflatio aurium, quàm perniciosè miſeris cum quibus ludis! Riſui tuo dicerem, ſi non deſperem, quid fruſtrà deciperis? Immo quid decipis? In errorem inducis quos beatificas, allidis quos alleuas, deijcis quos exaltas* Sic ſe allocutus, mœrens in locum quemdam ignotum abſceſſit.

*Surius in vita eius*

Non igitur ergo Tibi Flores molliculos & blandulos offero, ſed Rubum durum & ſpinoſum. quia non ſum neſcius Tibi curas & ſollicitudines pungentes imminere Pedo & Tiaræ agnatas. Sive foris, ſive domi non deſunt. In privatis publicisque negotijs, in externis & internis formicarum inſtar pullulant; ita vt poſſis dicere cum Apoſtolo: *Foris pugna, intus timores.* Et rurſus cū eodem: *Præterea quæ extrinſecus ſunt inſtātia mea quotidiana ſollicitudo Eccleſiarum* An non hic Spinæ? Interim qui ſpinas & ſentes pro gloria Dei patitur, haud infelix dicitur quia in Deum ſollicitudines referre, de ſpinis Roſas, *Mel de petra, Oleum de ſaxo duriſſimo eſt elicere* Dignitatis Titulus, equidem ſpinoſus eſt Rubus, eſt & Myrrhæ Fasciculus; attamen propter Dilectum eſt amplexandus.

*2. Cor. 7.*
*2. Cor. 11.*
*Deut. 32.*
*Cant. 1.*

Propterea igitur Dominus Moyſen ex Rubo alloquitur, ibique eum populi ſui Ducem inſtituit, ac ſolvere calceamenta iubet, vt per ſpinas pedetentim cautèque ac reverenter ambulet. Vlterius nodoſam & ſpinoſam ei Virgam conſignat, in auctoritatis ſymbolum: ſed & benedictionem opemque in omnibus ſpondet, nec promiſſis fraudat. Ergo & tu Rubum ſpinasque attende, Dignitatis Tuæ ſollicitudinibus circumcinctæ ſymbolum myſticum. Spinarum ſuperabis forti animo punctionem; ſi attenderis ad ſupernam vnctionē quæ Te de omnibus erudire parata eſt. Felix ſanè fueris, ſi de Te dicere valeamus:

*O Lilium inter ſpinas!*

*Cant. 2.*

Hoc dicemus, ſi candorem & integritatem ſerues inter tot negotia pungere & lædere nata. Scitū eſt illud S. Bernardi: *O Lilium inter ſpinas! O tener & delicate Flos, Spinæ te circumſtant! Spina vicinus malus, Spina falſus frater, Spina animarum cura,*

*Bern. in illum locum.*

Spinæ

*Spinæ tribulationes & inquietudines.* Inter has ſpinas non lædi, divinæ eſt virtutit, non humanæ imbecillitatis. At numquā divina deeſt virtus & protectio, ſi expectetur avide, ſi expetatur toto corde. Vt autem per ſpinas illæſus pertranſeas, priſcam illam Domini benedictionem tibi exopto & voueo: [Gen. 49.] *Benedictio illius qui apparuit in Rubo ſit ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos.* Numquid Tu Nazaræus, hoc eſt Floridus, Conſecratus, Coronatus? Numquid Crux, benedictionis eſt Rubus? In illo certè apparet Nazaræorum Dux Chriſtus, ſpinis cinctus, & ſuos Anteſignanos ex illo alloquitur, vt conſtantes ſimulque ardentes eos ſuo reddat alloquio, ſuaque cæleſti benedictione confirmet. Tu eum ibi audi, arrecta aure, erecta mente qui inter populi Duces iam dilectus es. [Matth. 7.] Potens eſt Tibi efficacem benedictionem dare, vt *de Spinis vuas, de Tribulis ficus* colligas, Potens eſt de Rubeto ſenticoſo Roſas contexere, & de Lolijs Lilia educere, iiſque verticem Tuum coronare feliciter & glorioſè.

Memineris illuſtris illius viſionis Patris Veſtri NORBERTI, qui in Ordinis ſui primordijs Chriſtū in Crucis Rubo conſpicatus eſt, ſeptem ſplendidiſſimis radijs circumornatum: ad quem à quatuor Orbis partibus [Phil. Albas de d-gnit. Cleric. c. 106.] multitudo velut peregrinantium Candidatorum confluebat, flexisque genibus dato pedibus eius oſculo, recedebat. Cùm autem hæc viſio eius cōtigerit in Valle ſua PRÆMONSTRATA, quæ Quadrifica eſt, ſive Quadrivia, quaſi quatuor Crucis Cornua, & ſimul quatuor Orbis partes reſpiciens: quid aliud deſignabatur, quàm Candidi Ordinis alumnos fore Crucis & Crucifixi filios, ac cum benedictione illius qui apparuit in Rubo flammans & radians, in quatuor Orbis partes diſpergendos, ibique multiplicandos? Quam quidem viſionem, & viſionis veritatem, euentus mox comprobavit. Quocirca Alexander Pontifex, ſic ſcribit ad Abbatem Præmonſtratenſem in quodam Diplomate ſub annum 1177. *Attendentes quomodo Ordo veſter, multâ fulgens gloria meritorum, & gratia redolens ſanctitatis, palmites ſuos à mari vſq; ad mare extenderit, ipſum Ordinem, & univerſas eius Domos, Apoſtolicæ protectionis præſidio diximus confouendas.* Certè, tempore Beati Hugonis, qui S. NORBERTO primus in regimine eſt ſubrogatus, ſupra centum Abbates Capitulo Generali interfuiſſe novimus. Ac centeſimo Anno ab initiato Candido hoc Ordine Cœnobia mille octingenta enumerata fuiſſe, poſteritati traditum eſt. Accede ergo & Tu (vt concludendo repetam) ad eum qui Moyſi flammans apparuit, Patrique tuo ſeptempliciter radians; vt Te ſeptiformis Spiritus Sancti donis coruſcantibus illuſtret ad feliciter auſpicandum Præſulatum, & pedibus eius humili dato oſculo, [Gen. 49.] ſua benedictione confirmet. Ne deſpondeas: *Deus patris tui erit adiutor tuus, & benedicet tibi Benedictionibus cæli Deſuper, Benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulua.*

---

Inſcriptio. Lucens ardeo, ardens luceo; [Xenium Tertium Lucerna fulgida.]

EPIGRAMMA.

*Sub Modio pridem latuiſti, ſed modò fulgens,*
*Eſto Lucerna bonis: eſto Lucerna malis.*
*Glorifica Patrem ſublimi in vertice honoris,* [Ioan. 5.]
Ardens & lucens *gloria Patris eris.*
*Glorificet Patrem in Cælis, Te quiſquis honorat*
*In terris Illi gloria tota venit.*

CAndelarum ſublime aſcendis, vt luceas: aſcendis, vt alios accendas. Sic age, vt tutus ſis ab illa comminante voce illius, [Syntagma Ex Scripturis ſacris, & Sanctorū Patrum dictis.] *qui ambulat in medio Candelabrorum aureorum, de cuius ore gladius vtraque parte acutus erit: Venio Tibi, & mouebo Candelabrum Tuum de loco ſuo.* [Apoc. 1. Apoc. 2.] Quapropter ſæpius tecum ipſe revolve, & imo pectore conde, Anni benedictionis Tuæ ex Evangelicis verbis Signaculum Chronico expreſſum: [Mat. 5.]

sIC LVCeat LVX Veſtra, Vt gLorIfICent
patreM qVI In CæLIs eſt.

Eſtote igitur vt Lucerna in Domo Dei, in Candelabro ſublimi ſita, ornata, & coronata, Lucerna, non ſub Modio fumigans, ſed in Modio flammans, Lucerna, non pice mixta, aut fumo fuliginem affricante, & lacrymas inſpectantibus excutiente: ſed nitidiſſima luce omnibus gratiſſima, omnes exhilarans & illuſtrans. [Luc. 11. Dan. 5.] Lucerna, ſimilis illi de quo Dominus: *Ille erat Lucerna ardens & lucens Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.* Eſtote lucens gregi Tuo nitentis vitæ exemplo, vt ardens flammantis doctrinæ verbo & zelo, memor Gregoriani illius dicti, *Lux gregis, flamma Paſtoris.* [Greg. l. 7 ep. 32.]

In operibus Tuis ſic Lux agnoſcatur, vt in illis Pater glorificetur. [Rom. 8.] Pater equidem ille, ad quem Filij clamant in ſpiritu, ABBA PATER. Tu quidem etiam Abbas es & Pater, ſed illi debetur gloria *à quo omnis Paternitas nominatur in cælo & in terra.* [Eph. 3.] Tibi ſi & honor debetur, propter illum eſt, cuius eſt aſſumptio Tua Hinc & apud veteres emblematicè dictum eſt portanti Iſidis ſimulacrum: *Non tibi, ſed Religioni.* Sic monebatur in Deum referre honorem ſibi exhibitum propter Deum ſuum Tu quoque ſi luce fulges glorioſa, ſi & honore afficeris in ſublimi poſitus, fac vt in Patrem qui in Cælis eſt, tota aſcendat lux & gloria, vt poſſit ſecurus dicere cum Dei Filio: [Ioan. 8.] EGO GLORIAM MEAM NON QUÆRO. Nec Tuæ accidat memoriæ lucidum illud dictum S. Brigittæ: [S. Brig. l. 5.] *Si per bona opera luceat lux noſtra corā hominibus, ignemque habeamus lucentem, curemus vt per caminum Humilitatis educamus omnem fumum humanæ gloriæ & vanitatis.* Hoc illa Theodidacta nos monet ſalubriter & piè.

Cæterum non deſunt Tibi exempla illuſtria eorum qui in Domo Dei, imò in Domo Tua, fuere Lucernæ lucentes & ardentes, quorum lucem, & ardorem valeas imitari.

Ac

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ac in primis LVCERNA fuit ardentiſſima & fulgidiſſima S. NORBERTVS, Princeps Præmonſtratæ
Heb. 1. Gentis, & totius candidi ac lucidi Ordinis Parens: qui ſuo candore & luce ſuos docet adſpirare ad
Col. 1. *Candorem lucis æternæ, & in ſplendorem paternæ gloriæ*, verè Pater filiorum lucis, quos *vocat in partem ſortis Sanctorum in lumine.*

Talis etiam LVCERNA fuit S. CAROLVS, cuius nomine inſigniris felici omine. Huius cùm inaudiſſet obitum, Pontifex Gregorius 13. altum educens è corde gemitum, dixit: *Extincta eſt Lucerna in Iſrael.*

Tales quoque LVCERNÆ multi Candidi Ordinis Abbates, qui ſplendori ſapientiæ ſanctitatis ar-
Iſa 45. dorem confœderantes, DATI SVNT IN LVCEM GENTIVM: Hi in terris ſuo æuo Patrem glorificarunt ſua luce: nunc in cœlis ab eo glorificantur: Æ-
Pſ. 35. ternitatiſque Candidati, vident *lumen in lumine, & bibunt vbertim de Fonte vitæ.*

1. Inter Hos recenſendus B. HVGO, primus S. NORBERTI Aſſecla, poſtmodum in regimine & ſupremo Ordinis Magiſtratu eius Succeſſor, & Hæres haud indignus.

2. B. EVERMODVS, eiuſdem quoque NORBERTI Sodalis ſecundus, ac primus Magdeburgenſis Cœnobij Præpoſitus, Wandalorumque Apoſtolus, quibus lucem tulit ad fugandas tenebras erroris, &
2. Cor. 4. *ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti.*

3. B. WALTMANNVS, etiam ipſe NORBERTI Socius, eiuſdemque in Monaſterio S. Michaelis Antuerpiæ Succeſſor in Abbatiali Dignitate, poſt domitam Tanchelinam hæreſim Sacramentariam,
Rom. 13. quando abjectis *Operibus tenebrarum*, effulsêre *Arma lucis.*

4. BB. ISEFRIDVS ET LVDOLPHVS, ex Candido Ordine Epiſcopali Raceburgenſes, ita zelo lucentes, & ardentes, vt poſterior horum pro fide & iuſtitia ad ſanguinem vſque decertârit, & Martyrij palmam promeruerit.

5. BB. FREDERICVS ET SYARDVS, Horti Mariani in Friſia Abbates, pietate & doctrina lucidiſſimi.

6 B. MILO, ex Abbate S. Iudoci in Nemore ad Epiſcopatum Tornacenſem provectus, & ſuper Candelabrum poſitus, vt luceret omnibus, qui in domo ſunt, ac in domum introduceret eos, qui foris ſunt.

7. B. FLEXO, ex Abbate Cœnobij Lidlumenſis in Friſia Martyrij laureâ coronatus, vt poſtquam ad
Dan. 12. iuſtitiam erudierat multos, *fulgeret in perpetuas Æternitates.*

8. Adde BB. GILBERTVM in Arvernia Abbatem Sanctiſſimum: GAREMBERTVM, Cœnobij Montis S. Martini in Silua Boënenſi Fundatorem & Abbatem primum: REINERVM Altiſiodorenſem: RADVLPHVM Viconienſem. Hi omnes Prælati fuêre in Candido Ordine Candidi, & in Eccleſiæ Can-
Eccli. 44. delabro LVCERNÆ fulgidæ, & ardentes: *Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis.* Quapropter *in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.* Tu eorum veſtigia preſſo pede ſectare.

Sed nec deeſt Tibi domeſticum raræ pietatis exemplum in IOANNE D'AVELOIS, Floreffiano Abbate quinto: qui Vir ſanctus & Apoſtolicus, contemplationi rerum diuinarum deditiſſimus audijt, & cum odore ac communi ſanctimoniæ opinione apud vos obijt, depoſitionem habens humilem, ſed celebrem. Sanctimoniæ eius indices fuêre nouæ Fontium ſcaturigines, ægris medentes, ſanis ſalubres, quæ apud Eccleſiam veſtram diuinitùs promanaſſe eius tempore leguntur: ita vt viſum ſit in eo adimpleri illud Encomium, quod Simoni Sacerdoti eximio adſcribit Eccleſiaſticus: *In vita ſua* Eccli. 50.
*ſuffulſit Domum, & in diebus ſuis emanauerunt putei aquarum.*

---

Inſcriptio Benignâ Seueritate. Xenium Quartū. Pomum acridulce.

EPIGRAMMA.

*Sæpè nocet ſtomacho* Pomum prædulce, *nocetque*
Acre *nimis, multis* Suaue, *ſed* Acre *placet:*
*Ne fueris* Lenis *nimium, nimiumq;* Seuerus:
*Iunge* Oleum, VINO, *ſanat vtrumq; ſimul.*

ALluſio eſt ad Tuum Cognomen in hac Epigraphe, BENIGNA SEVERITATE: ſed boni regiminis portat Omen. Quapropter & hic illud Poëtæ canimus. Syntagma ex Scripturis & Sanctorum Patrum dictis.

*Auſpicijs res cœpta malis benè cedere neſcit,* Alciat. in emblem.
*Felici quæ ſunt omine facta, iuuant.*

Sed quare hoc felix Omen nomino? Quia Antiſtiti conuenit ſeueritati miſcere benignitatem, benignitati ſeueritatem, vt non deſit zelus feruoris, nec blandimentum candoris. Intuere Angelum reſurrectionis, & eum imitare. Fulgurans erat in facie, Math. 28.
Candidus in veſte, Nuntius lucis & gratiæ. En Tibi paradigma Antiſtitum, qui Dei Angeli & cœleſtes dicuntur Legati. In fulgure zelus ardens, in candore ſignatur amor blandiens. Vtrumque iunge fœdere ſancto.

Qui ſemper ſeueritate vtitur & imperio, videtur velle DOMINARI IN CLERO, quod diſplicet Apoſtolorum Principi Petro. Qui pro obſeruatione Legis cum auſteritate iungit benignitatem charitatis, FIT EX ANIMO FORMA GREGIS. Sic ergò zelus 1. Pet. 5.
velut Dña præiens: ſit Benignitas velut Pediſſequa ſubſequens, & zeli veſtimenta, ne defluant; colligens, Fortitudo & violentia LEONIS, temperanda eſt FAVO MELLIS, vt verum ſit illud: *è Forti dulcedo:* Iudicū 14.
& illud quoque ex aduerſo: *è dulci fortitudo.*

Ipſum Supremum Numen quæ inchoat Seueritate, temperat & conſummat Benignitate. Dum alloqui parat Eliam in Monte Horeb mittitante ſe ſpiritum grandem, ſiue Ventum validum conterentem petras, & ſubvertentem colles. Poſt ſpiri- 3. Reg. 19.

tum, ſuſcitat terræ motum horriſonum. Poſt commotionem ignem crepitantem circum accendit. Denique in Sibilo auræ lenis ſuam exhibet vocem & ſuauiſonam præſentiam. Cur hæc violenta præcedunt *Ventus, Terræ motus, & Ignis?* Diuinas deſignant comminationes; quæ à Seueritate procedunt. Auræ lenis Sibilus Benignitatem indicat ſubſequentem, quam induere debebat Elias, & quicumque alijs præſunt, in Elia figurati. Docebatur Propheta turbatior, & concitatior, ad vindictam de Dei hoſtibus expetendam, mitiùs agere, quia ſpiritus Domini manſuetiſſimus non turbine glomeratur, non nubilo liuet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, ſimplex eſt, lenisque & apertus. Certè Dei in gubernando Providentiam & Iuſtitiam ſemper comitantur eius Alumnæ Benignitas & Patientia. In corripiendo potens eſt & efficax, ſed patiens ſimul & benignus: *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, ſed diſponit omnia ſuauiter.* Sic & Naucleius Nauem & non vi mera, ſed leni manu regit, & ſuauiter in portum deducit, fluctuum voluminibus paulatim calcatis & ſuperatis. Tu vtriuſque eſto imitator. Fortiter age, ſed manſuetè. Sint vincula Tua ſuauia & ſerica, ſed efficaciter ſtringentia. Sint *ſicut Vitta Coccinea labia tua, & eloquium tuum*, ſiue Imperium, *dulce*. Non ſis Seuerus nimium, ſed nec mollis erga vitia & vitioſos. Qui parcit malis, nocet bonis. Audi Sapientem: *Noli fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Audi tamen & eundem: *Noli eſſe ſicut Leo in domo tua; evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* Digna eſt Cedro ſententia; digna quæ Antiſtitum Periſtromatis intertexatur:

Sap. 8.

Cant. 4.

Eccli. 7.
Eccli. 4.

S. Gregor. in Paſtor.

*Summus locus tunc benè regitur, quando is qui præeſt, vitijs potiùs quàm Fratribus dominatur.*

Hæc eſt doctrina S. Gregorij Prælati erudititiſſimi, Prælatorum Eruditoris ſapientiſſimi, qui & alibi Tuum ſic deſcribit Elogium: *Miſcenda eſt ſeueritas cum lenitate, & ex vtraque temperamentum conficiendum: vt nec multa ſeueritate ſubditi exulcerentur, nec nimia Benignitate ſoluantur. Sit amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans. Sit zelus non immoderatè ſæuiens, ſed non pluſquam expediat parcens. In Tabernaculi Arca, ſimul Virga erat & Manna. In boni Rectoris pectore, cum ſcientia legis, ſi eſt Virga diſtrictionis, ſit & Manna dulcedinis.* Quid diſertius, quid noſtro dici poteſt propoſito aptius? Quidve pluribus opus? Exhibe Te vt Prælatum & Dominum, auctoritate & imperio. Exhibe Te vt Patrem & Abbatem, affectu & obſequio. Percellit quandoque Pater, & percutit Filium, ſed non toto pondere calcat. Seuerè ſe gerit, ſed verè ad id compellitur: Immiſcet interim ſeueritati Iudicis benignitatem Patris, illum ſuſpiciens & imitans, qui Iudex eſt ſeuerus, ſed ſimul Pater verus.

S. Gregor. 20. mor. c. 8.

Hæc omnia hactenus à nobis diſſerta, Tuo opportunè Elogio, repræſentare Tibi valet breui velut in Emblemate POMVM ACRIDVLCE. Similiter Samaritani VINVM ET OLEVM pro medicando vulnere. Hoc vngit, illud pungit, iungit vtrumque ſimul Sapiens Samarites, hoc eſt Cuſtos & Medicus. Tu tuorum Princeps es, ſed etiam eſto & Medicus & Cuſtos. Tibi dictum cenſe quod cuidam in vaticinio Iſaiæ: *Apprehendet Vir Fratrem ſuum domeſticum Patris ſui*, dicens:

Luc. 10.

*Veſtimentum tibi iſt, princeps eſto noſter:* Iſa. 3.
*Ruina autem hæc ſub manu tua:*

An non id Tibi cenſentur dixiſſe, qui Te in Caput elegerunt? An non apprehenderunt Te vt Fratrem ſuum & Domeſticum Patris ſui, Stolâ & Veſte candida fulgidum & floridum, ne Domus in ruinam labaſceret ſine Capite & Principe? Aut ne ad extraneum devolueretur Sacer Principatus? Tu verò non potuiſti reſpondere quod ille: *Non ſum medicus & in domo mea non eſt panis, nec veſtimentum nolite me conſtituere Principem.* Iſa. 3.

Providebis equidem cum Domino, & in Domino, de Oleo & Vino, de medela & malagmate exulcerato hoc tempore. Providebis de Annona ſufficiente, & de Frumenti adipe, ex Patris familias Area & Horreo non deficiente. Providebis affatim de candida Veſte ex Lana & Agni vellere; & ideò meritò inter Tuos Princeps es electus & confirmatus. Opto certè ego & voueo, vt Domus Tua, Te providente, temporalibus non deſtituatur auxilijs, ſed magis vt ſpiritualibus proficiat incrementis.

---

Inſcriptio. Ignauum timidumque repello.

Xenium Quinti. Verſatilis clauus nauis.

## EPIGRAMMA.

*Me miſerum, quanti Montes voluuntur aquarum!*
*Iam iam tacturos ſidera ſumma putes.*
*Quanta diducto ſubſidunt æquore Valles!*
*Iam iam tacturas tartara nigra putes.*
*Rector in incerto eſt, nec quid fugiat ve petat ue*
*Invenit: ambiguis ars ſtupet ipſa malis.*

AN non hac tempeſtate id verum eſt? An non *flumina eleuarunt vocem, eleuarunt fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum?* An non *Mirabiles elationes maris cernimus?* Qui deſcendunt mare in manibus, facientes operationem in aquis multis, quique Reipublicæ Clauum tenent, ita modo exagitantur: vt illicò aſcendere videantur vſque ad cœlos, & mox deſcendere vſque ad abyſſos, animâ eorum in malis tabeſcente, ſapientiaque vel devoratâ vel emotâ. Neque ſolum in Magiſtratu ciuili Proretas hæc percellit tempeſtas, ſed etiam ſedentes ad Eccleſiæ Clauum & Gubernaculum. Vidimus etenim Epiſcopos cum Clero extorres, Cœnobiorum Rectores cum ſuis in fugam adactos, Paſtores cum palabundo grege gementes, Vidimus Aras converti in Haras, & Dei Domum in equorum Præſepium, Calices & Vaſa gloriæ in Vaſa ignominiæ. Denique vidimus ſacra profanaque

Syntagma ex Scripturis & Sanctorũ Patrum dictis.
Pſ. 92.
Pſ. 106.

que omnia ſurſum deorſum cum confuſione rotari, & ſine diſcrimine convolvi, ac conſpurcari, Bellona repente, aut potius furia ab Orco erumpente.

Turbulento ſanè tempore Navis Tibi commiſſa eſt, vt in ea primatum geras Sed in proceſſoſa aura Naucleri deſideratur ſedulitas & peritia, vigilque & ſolers animus. Ideo CLAVUM NAVIS Tibi in xenium ſiſto, ſimulque vigilantiæ & prudentiæ admonitum volo, vt poſtea valeas geſtientium in portu Nautarum celeuſma decantare. Sapiens Nauarchus nec ſecundis rebus intumeſcit, nec adverſis frangitur. Non cum aſpera terrent, non extollunt proſpera. Non cedit ventorum malitiæ, non credit maris militiæ. Nouit illud:

*O nimium cælo & pelago confiſe ſereno.* Vigil.
*Nudus in ignota Palinure iacebis arena.*

Magna felicitas à felicitate non vinci, Magna conſtantia à rerum incoſtantia non turbari. Magnum eſt quando hoc verum eſt:

*Et velut alliſos Mons fluctus ridet & vndas,*
*Sic ſtat & in mediis Mens benè firma malis.*

Aſcende ergo forti animo *Proram*, capeſſe *Clavum & Gubernaculum*; & contra nebulas animum obfirma. Ignauum timidumque Clauus non admittit ad ſe gubernandum. Sanè Tibi non ſolũ priuatæ ſed & publicè rei ſollicitudo incumbit; ſiue in Ordine Tuo Candido per diuerſas Circarias Viſitatoris munere fungens, cum totius Ordinis Tertius Pater exiſtas; ſiue in Patriæ communis Ordinibus & Comitijs. Macte animo, qui in Prioratu in partẽ ſollicitudinis vocatus cum laude Te geſſiſti, nunc in Præſulatu curris adauctus & dignitate, perge porrò quo pede cepiſti. Eſto patiens laboris, neglector quietis, fugax voluptatis, zelator religionis, nutritius pietatis, ſectator veritatis, oſor iniquitatis, Protector candoris & Candidi Ordinis.

Inſiſte veſtigijs Anteceſſoris Tui, Viri fortis animi, acris iudicij, prudentiæ perſpicacis, diſerti oris, ſeriæ gravitatis, venerandæ auctoritatis, in negotijs publicis magnæ experientiæ & dexteritatis, zelique pro Religionis decore ferventis. Quot labores exantlarit, quot pericula ſubierit, quot confecerit itinera Religionis & publici boni gratia, haud facile eſt ad calculum vocare. Etiam in propatulo eſt, qua ſedulitate & zelo, ab eo tempore quo Gubernaculis admotus fuit, ſe pro domo ſua geſſerit, & in moribus formandis intus, & in muris foris: atque etiam in renovando decore domus Dei, vt eſſet gloria noviſſimæ Domus maior quàm primæ. Attendebat illud quaſi ſibi dictum: Qui non quantum potuit benefecit, defecit. Ideò nullis pepercit impenſis, ſive in Campanis quaſi Cymbalis beneſonantibus: ſive in Anguſtis & Polymitis ornamentis: ſiue in Reliquiarum & Pignorum ſacrorum involucris pretioſis; ſive in Sedilibus, quaſi Exedris Seniorum iuxta Thronum Agni, perpoliendis ſive in ODÆO ET DOXÆ ad laudes Dei reſonandas magnificis.

Verùm Mors ei invidit poſtremi huius Operis conſummationem & Coronidem Tu, ſi potueris, perfice ad gloriam Dei & Mariæ, ad gloriam NORRERTI & decorem FLORIFFERÆ Spõſæ tuæ Benignè fac in bona voluntate tua vt ædificentur & perficiantur muri Ieruſalem, licet vna manu pugnandum, altera ædificandum Tibi ſit Dico, ſi potueris, ſcito enim in quæ incideris tempora, quando multæ remoræ, multa intercurrunt impedimenta & obſtacula Illud propterea Catonis hic rememorandum cenſeo. Pſal. 50.

*Quod potes, id tentes: operis ne pondere preſſus*
*Succumbat labor, & fruſtra tentata relinquas.* Cato in ſent.

Sed ad Tuæ *Proræ Clavum* redeo, quo nauigaris Nauarchus, ſicut *Claue* Magiſtratus. Memineris ergò illius qui dedecoroſè deſcribitur apud Sapientem *quaſi Gubernator dormiens in medio maris amiſſo Clauo* Ignominiam hanc devitans, nec Gubernaculum deſeras vel in ſomno Nauclerus ſi breuem ſuffuratur ſomnum, illum adhuc habet ſuſpenſum & dubium, vt ſæpe exclamat Vela contrahi. Clauum ſiſti, Contos præparari & Transtra, aut quid aliud rerum nauticarum diſponi: ſic dormiens magis curam gerit Navis quàm alij vigilantes. Igitur & Tu perdius & pernox, dirige Nauem Tuam in fine ſedens, & è loco ſublimiori ſyrtes rupesque proſpiciens Præuide exitum, præcaue exitium Vitabis Scopulum, ſi tuum intentis oculis reſpicis ſemper Scopum. Et quia ſolertem Tibi animum commendo, Ionæ, non obliuiſcaris parum cautè in ſentina ronchos ducentis. O IONA mare tumet, fremunt venti, allidunt ſcopuli, mergitur ratis, iratus ſequitur vltor à tergo Deus, vno tantùm gradu mors à te dividitur, & tu vtramque in aurem ſic indormis? Surge, & ne fortè cum morte iungas ſomnum; invoca Deum tuum. Sic & Tu excutiens veternum, dormitantemque mentis aciem tergens, ſurge & inuoca Deum Tuum in proceſſoſa & illuni nocte, cum ſolertia vigilans omnibus quæ ad aliorum directionem ſpectant, proinde. Nec tui tamen obliuiſcaris, vt tuæ primũ intendas directioni. Feliciter alios regit qui ipſe primùm ſe regit Si probè te rexeris, Rex eris: quia ſibi imperare maximum eſt imperium. Difficulter etiam alij ſe regi patiuntur ab illo qui ſe ipſum non regit Scio te hæc [illegible] ſcire. Scio tamen & illud Sapientis [illegible] uenire: *Audiens ſapiens, ſapientior [illegible] & intelligens gubernacula po[illegible]debit.* Prou. 23. Iona 1. Prou. 1.

(*⁎*)

*Xenium Sextum. Faſciculus è ſpicis Meſſis.*

Inſcriptio. Ex labore Vbertas.

EPIGRAMMA.

*Albicat ad Meſſem regio:Tu* Candide Præſul
*Præficeris Meſſi, conſere & ipſe manus.*
*Spicea Serta Tibi Domini de rure parantur.*
*Meſſores fidos mittere cura Tua eſt.*
*Si Tibi de curis fuerit non vltima cura,*
*Ioan.4.* Gaudebit pariter qui ſerit,atque metit.

*Syntagma ex Scripturis & Sanctorũ Patrum dictis.*

OFfero Tibi Faſciculum ex Spicis meſſis canicantis, quas opto eſſe velut *Spicas ſeptem de culmo vno*, vt olim vidit Pharao, quibus portendatur Agri Tui Vbertas. Hæ Spicæ Te memorem reddant Meſſis illius, quæ Tibi cordi debet eſſe & curæ, de qua Dominus: *Ecce regiones albæ ſunt ad meſſem; rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios.* (*Gen.41.*) Tu meſſor primarius es, meſſiſque Præfectus: mitte (*Ioan.4.*) Meſſores, ſed illos priùs explora, & poſtea adhuc inſpice. Nec tamen cancellatis reſes ſis manibus; immò Manipulum quoque Tuum collige, & col- (*Gen.37.*) lectum colligatumque erige. Debent cæteri Manipuli adorare Manipulum Tuum, ſicut Manipulum Ioſeph Manipuli Fratrum. Debent Dignitatem Tuam revereri, & laborem ſollicitudinemque ſuſpicere cæteri Meſſores, ſicque ad opus animari.

Vide autem vt hi, quos emittis ad Agrum Domini colendum, ſerendum, metendum, verè ſint Operarij. Malè cedit, dum nonnulli ſerui ſunt inutiles, aut operis interturbatores, Operariorum tamen nomine inſigniti. Quidam non gerunt Falcem ad metendum & congregandum, ſed potiùs Facem vitioſæ cupiditatis ad diſpergendum & vſtulandum. Alij terrenæ meſſi ita inhiant, vt ſpiritualem parui pendant & negligant. Atque vtinam non ve- (*Iudit.8.*) rum ſit de quibuſdam illud: *In diebus meſſis hordeacea inſtabat ſuper alligantes Manipulos, venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt.* At quis æſtus? Si explicem, eloquij myſtici obtundetur ſapor. Tales igitur ab Agris Tuis amoueantur.

(*Gen.27.*) Opto certè vt Agri Tibi crediti ſint PRIMITIA- (*Pſal.4.*) RVM AGRI, ſpecialiter à Domino benedicti. *De rore cœli* ita eis ſit benedictio, vt ſtabiliat Te Dominus *fructu Frumenti, Olei, & Vini*; & à fructu hoc triplici multiplicentur Domeſtici Tui, & numero multitudinis, & merito virtutis. Nec mireris quòd Te Agricultorem velim: nam & olim manibus Imperatorum colebantur Agri, gaudente terra Vomere laureato, & Triumphali Aratore. Illi eadem curâ ſemina tractabant, quâ bella: eadem diligentiâ arua diſponebant, quâ caſtra: Sic Camillus ab aratro vocatus eſt ad imperium. Serrano dati ſunt honores ſerenti, vnde & nomen Serrani. Sed quia ad allegoriam hæc traduco, malo tibi ob oculos ponere eos, qui ſacris in litteris leguntur fuiſſe Meſſis satagentes. Eliſæus erat arans in duodecim iugis boum, quando Pallio Eliæ fuit inauguratus, vt præeſſet Filijs Prophetarum. (*3.Reg.19.*) Gedeon excutiebat, excernebatque frumenta in area, quando Dux populi, ſalutante Angelo, eſt inſtitutus. Hæc omnia munia Tibi ſymbolicè conveniunt; ideoque per FASCICVLVM SPICARVM. Tibi oblatum ea indigi- (*Iud.6.*) tans, fertilitatem Tuæ Meſſis portendere dico, ſi Operarij fidi & ſeduli à Te provideantur. De quibus vt provideant Prælati, non ex affectu priuato, ſed delectu pio & maturo, Candidi Ordinis decretis præclarè eſt conſtitutum.

Neque verò oportet Te ſolummodò metere, ſed prius ſollicita cura oportet plantare & ſeminare. Quomodò ſeminare? Huius proficuæ ſationis Te commonefaciat SEMINARIVM Pietatis & Doctrinæ Louanij apud Grudios à Prædeceſſore tuo inſtitutum; in quo qui erudiuntur, irrigantur vt Semina, creſcunt vt Plantæ, tandemque ad maturitatem pertingentes, fructificant copioſè. Apti enim fiunt ad varia munia, cum domi, tum foris, cum fruge & laude obeunda. Scio graues hic ſumptus intercurrere, an tamen fructuoſius vel glorioſius impendi poſſint? Tu conſule.

Denique, offero Tibi SPICAS MESSIS, vt memineris à Meſſe Tua excludere VVLPES SAMPSO- (*Iud.15.*) NIS, quæ caudis colligatæ meſſem incendunt. Quænam hæ Vulpes? Certè Vulpes ſunt illi, quæ gerunt & ſerunt ignem diſſidij, vel cauda, vel lingua: cauda cupiditatis, lingua contradictionis. Hi Religionis Agro plurimùm obſunt. Nam ſeſe colligantes, libertatis cupidine incenſi, pijs Præſulum conatibus obnituntur, & diſciplinæ ſanctæ frugem vel incendunt, vel proterunt. Hos etiam rectè vocauerimus VVLPES demolientes *Vineas*, quæ exterminandæ (*Cant.2.*) ſunt & capiendæ dum adhuc ſunt paruulæ, dum necdum in prauis conſilijs adoleuerunt. Non exiſtimo tales Tuo in Agro vel Vinea reperiri, ſed ne enaſcantur & exurgant prævidendum & providendum.

Verùm de hac Tua Meſſe pluribus non diſſero, nec opus eſt. Illud ſolùm interpretatione forſan eget, cur ego Tibi Sertum & Coronam de Spicis turgentibus exoptem, qui Auro coronaris & Gemmis? Nempè, quia olim ſolitum fuit, vt Præſes Paſtorum ſic coronaretur, tamquam Princeps eorum. Hinc Romulus CORONAM SPICEAM dedit Agrorum Sacerdotibus; qui inter Agricolas & Paſtores eminebant velut Principes. De qua re ſic Plinius: *Aruorum Sacerdotes Romulus in primis inſtituit, ſe-* (*Plin.l.18. c.2.*) *que duodecimum fratrem appellauit, inter illos ab Acca Laurentia, Nutrice ſua, Spicea Corona quæ Vitta alba colligaretur, in Sacerdotio ei pro Religioſiſſimo Inſigni data, quæ prima apud Romanos fuit Corona.* Tu igitur tamquam Præſes Paſtorum, ſic Agrum cole, Meſſemque cura, vt Spiceam illam promerearis Coronam, quæ illis datur, qui *Venien-* (*Pſ.125.*) *tes veniunt cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Illa autem Corona etſi Spicea ſit, tamen immarceſſibilis ſit à Principe Paſtorum, de cuius manu eſt percipienda, hinc & AMARANTINA dicitur.

tur. Eſt autem AMARANTVS, Flos vel Spica purpurea, ab immortalitate nomen habens, quòd numquam marceſcat. Sed rectè dixit inter veteres Clemens Alexandrinus: *Pulchra AMARANTI*
Clemens l.2.c.8. CORONA *illi repoſita eſt, qui rectè ſe geſſerit; hunc Florem Terra ferre non poteſt. Cœlum poteſt.* Illam ergò non in Terra, ſed in Cœlo voueo Coronam, quæ ætate non ſeneſcit, tempore non defloreſcit, ſpecie non flacceſcit, rugoſitate non decreſcit, nec æſtimatione vnquam vileſcit: ſed ſemper viuida & vernans, ſemper florens, ſemper recens, ſemper tui ſimilis perennat, & geſtantem mirè oblectat. In illo autem Viridario reperitur, de quo Pater veſter S. Auguſtinus canit:

S. Auguſt in Medit. *Hyems horrens, æſtas torrens, illic numquam ſæuiunt*
*Flos perpetuus Roſarum Ver agit perpetuum.*
*Virent prata, vernant ſata, riui mellis influunt,*
*Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum.*

Illam *Coronam Immarceſſibilem & Amarantinam*, in illo Florido Viridario decerpendam, TABVLA HÆC VOTIVA toties adoptat Tibi, quot paginis, quot lineis, quot verbis eſt expreſſa. Huic voto meo faueant Superi, Cœlumque annuat:

1. Pet. 5. *Deus autem omnis gratiæ qui vocauit te, ipſe, perficiet, confirmabit, ſolidabitque ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen, Amen.*

---

# PRÆLOQVIVM.

## REVERENDE ADMODVM PRÆSVL.

EXTINCTA ſunt, vel potiùs tranſlata, duo fulgida Luminaria è duobus illuſtribus Candelabris: duo, inquam, Prælati è duobus Cœnobijs Sibranis, ROBERTIVS ET BACCARTIVS, hic è Laubienſi, iſte è Floreffienſi. Viri ſanè illuſtris famæ & nominis, quibus pridem ab obſequio fueram per profeſſionem Theologicam. Sed his extinctis, ſeu tranſlatis, ſuccenſæ ſunt & ſucceſſerunt duæ nouæ Lucernæ, canonica & legali electione. Succeſſit ROBERTIO R. D. CAROLVS DE SEVERI, cuius inaugurationi congratulatus ſum paucis ab hinc menſibus *Tabula votiua Xenijs Symbolicis adornata ex ſacris litteris.* Succeſſiſti. Tu, Reuerende Domine, BACCARTIO, Fratrum tuorum votis ſuf-
1. Reg. 10. fragantibus electus, *& evectus, vt luceas omnibus, qui in domo ſunt, nec vltrà ſub Modio ſis reconditus.* Tibi autem eodem nomine & vinculo obſtringor quo alteri: ideoque & alteram planè ſimilem delineaui. *Tabulam votiuam Xenijs ſacris adornatam,* quam & in Munus Mineruale offero. Nolui enim eſſe ſimilis illis, qui Sauli recens electo obverſi, *de-*
Matt. 5. *ſpexerunt eum, nec attulerunt ei munera.* Suſcipe igitur benigno vultu qualiacumque Minerua noſtra promit, aut ſi mavis, quæ condit mercatoria mea Officina. Nec vilia exiſtimes; nam ex Sacrarum litterarum Theſauro, & Agiographorum diuite penu, ſunt deprompta. Suſcipe à me in die Benedictionis Tuæ pro benedictione *Ramum virentis Oliuæ, Arborem Thuris feracem: Diploidem Iuſtitiæ, Quadrigam ſalutis: Ramum Palmæ longæuæ.* Hæc ſint Abbatialis Aulæ Tuæ Periſtromata, Abbatialis Menſæ Tuæ Acroamata, vel Bellaria, in die inaugurationis ſacræ. Quæ quidem omnia compendioſè alijs verbis, & alio ordine complexus eſt Propheta Baruch, dum Monile hoc tuo circumdat pectori, *Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi* Baruch. 3
*ſit longæuitas vitæ, vbi ſit lumen oculorum, & pax.*

Non ergò dicam DISCE, ſed DOCE; nam ad eam evectus es ſublimem Cathedram, ex qua *Docere* Mat. 5.
oportet & *Facere.* Qui autem fecerit & docuerit, *hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Et qui ex hac Cathedra dignitatis, in qua ſitus es, *ad iuſtitiam* Dan. 12.
*erudierint multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas Æternitates.* Hoc tibi Calamus meus, hoc animus vouet. Faue, & Vale.

---

Inſcriptio E FLVCTIBVS EMERGO, Xenium Primum. Ramus oliuæ virentis.

Chronographicum.

SIt tIbI, fratrIbVsqVe tVIs, aC DoMVI tVæ paX.

*Ex 1. Reg. 25.*

EPIGRAMMA.

*Sit Tibi* PAX, *Domuiq; Tuæ, Fratrumque Coronæ:*
ROS *erit hic* vitæ, *quo* Benedictus *eris.* Pſ. 132.
*Omne bonum Hebræi deſignant nomine* PACIS.
*Sic voueo Mitra proſpera cuncta Tua.* Gen. 8.
*En ſignum* Pacis, Ramum Florentis Oliuæ,
*Fert volitans Arca caſta Columba Tua.*

PACEM cum ſolennitate ſolent adprecari plebi Præſules, in ſua Liturgia: Hanc igitur ſibi primum poſſideant, in alios cum benedictione ritu ſacro refundendam. Et ſanè iucundum eſt, nomen Pacis, maximè hoc calamitoſo æuo, in quo ad Pacem tota reſpirat Europa, propediem alioqui peritura. Nec alia eſſe debere. *Meſſis Regum, quàm Pax & quies populorum,* vt ſapienter dicebat Rex quidam apud Caſſiodorum. Hinc & illud Poëta Tragedi: Syntagma ex ſacris litteris & Sanctorum Patrum dictis. Caſſiod. l. 8. var. Senec. in Octau.

*Pulchrum eſt eminere inter illuſtres viros,*
*Conſulere Patriæ, parcere afflictis, fera*
*Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,*
*Orbi quietem ſæculo Pacem ſuo.*
*Hac ſumma virtus, petitur hac cœlum via.*

Sed nonnulli, qui ingenio ſunt bellicoſo, gloriam ſuam ex publico malo venantur, & dedecore ſuo gloriantur, dum è Mari & Terra (vt Neptunus

olim feciſſe fertur [ Equum Martialem ſuo Triden-
Bern. ep. 110. ad Epiſcop. Aquit. te exſuſcitant. His autem vellicat S. Bernardus,
dum ait: *Diſplicet mortalibus Angelica partitio illa*
*qua gloria Deo, Pax hominibus nuntiatur; qui dum*
*gloriã vſurpant, turbant pacẽ O ſtulti filij Adæ, qui*
*contemnentes pacẽ, & gloriã appetentes; & pacẽ per-*
*dunt, & gloriã* heu! quam hoc verũ eſt hoc noſtro
turbido ſæculo, in quo ſi quis in favorẽ Pacis publi-
Pſ. 57. cæ diſſerat, nõ auditur, ſed licet vox eius ſi *Vox in-*
*cantantis ſapienter*, canit ſurdis Regũ Miniſtris. Im-
mò ſi quiſpiã, vt olim interroget, *Rectene ſunt om-*
*nia? Pacatane ſũt omnia?* pro reſpõſo audit: *Quid ti-*
*bi & Paci? Tranſi, & ſequere me.* Certè Pax cælũ pe-
tijt, iam pridẽ exul à terris, nec redux eſt, tot licet
revocata votis Sed quoniã publicæ ſaluti Pacẽ re-
vocare non poſſumus, nec hactenus ſperamus; *Tu*
*Reuerende Præſul,* ſedulò domeſticam cuſtodi, &
Iob vlt. fove, quaſi in gremio aut gynecæo amabilẽ Nym-
1. Reg. 16. pham, *Amalthea cornu* ſecum ferentẽ Si igitur in-
terrogeris cum Samuele; *Pacificus ne eſt ingreſſus*
*tuus*; Reſponde cum illo, *Pacificus eſt.*

*Ad immolandum Domino veni*

Si autem ad immolandum Domino in celſæ Dig-
nitatis locum aſcenderis erige Altare quod poſſis
vocare DOMINI PAX. In illo gratum Domino offe-
res Holocauſtum, Te illi, Tuosq; ſubditos, Tua-
Iud. 6. que omnia offerendo & litando. Hoc fecit Gede-
on, dum cæleſti in auguratione deſignaretur, &
ſalutaretur ab Angelo Dux populi Dei. Hoc ſi et-
iam Tu feceris, felix erit tibi ad regimen ingreſ-
ſus, felicior progreſſus.

Hoc ergo primum votum meum eſt, *vt Tibi ſit*
1. Reg. 25. *Pax & Fratribus Pax, & Domui tuæ Pax.* Hoc quo-
que ſit prima ſollicitudo tua. Sic inter viros illos
glorioſos cenſeberis, de quibus Sapiens, qui *Stu-*
Eccli. 44 *dium pulchritudinis habentes, pacificantes ſunt in*
*domibus ſuis.* PAX Hæreditas eſt frugifera & bene-
dicta, quam S Benedictus legauit filijs à ſe benedi-
ctis. Hæc hæreditas à vobis exculta, & cælitus ir-
rotata ab illimi Fonte, omnem benedictionem ger-
minabit. Procul ergo ab ea ſimultates & æmulatio-
Heb. 12. nes, diſſidia & diſceptationes, omnisque *Radix a-*
*maritudinis ſurſum germinans.* Suffocant enim ger-
Sap. 4. men pium Patris cæleſtis *Spuria hæc vitulamina,*
& infelices ſurculi, ſarculo ſeverioris diſciplinæ a-
verruncandi: Amaritie inſpergunt Fauum Frater-
nitatis; fuligine deturpant ſpeciem candoris, & ve-
nuſtam faciem Religionis.

Iterum repeto. Sic pacificus ſit ingreſſus tuus,
1. Paral. 12. vt Tibi ex animo dicant tui quòd olim Filio Iſai:
*Tui ſumus, ò Dauid, & tecũ Fili Iſai Pax, Pax tibi &*
*Pax adiutoribus tuis Te enim adiuuat Deus tuus.*
Pſ. 3. Qui ſũt adiutores tui; Fratres tui. Eſt quidẽ & Ad-
iutor, ſed & ſuſceptor Deus, cui nunc meritò ca-
nere debes: *Tu es gloria mea, tu es ſuſceptor meus, &*
*exaltant caput meum.* Hoc Patrino te ſuſcipiente,
hoc Patrono te adiuuante gloriare. Et quia Reli-
gioſi tui, Fratres tui, etiam adiutores ſunt, *Pax ſit*
Gal. 6. *Tibi & Adiutoribus tuis.* Sed quænã Pax? Illa ſcili-
cet de qua Apoſtolus Religionis Coriphæus: *Qui-*
*cumq; hanc regulã ſecuti fuerint, Pax ſuper illos, &*
*ſuper Iſrael Dei.* Hâc pace floret Religio, & ſine Pa-
ce non eſt Religio, quæ à religando dicta, cordium
debet eſſe colligatio. Sub tua igitur directione &
auctoritate Filij S BENEDICTI *Filii pacis,* ad eũ-
dem ſcopum æternæ pacis tendant, & à ſæculi cir-
cumerrante orbita ad primum Vitæ & Vitæ Prin-
cipium religentur. Fruſtranea eſt auctoritas, &
ruminoſa poteſtas, ſi eam non fulciant Pax & Cha-
ritas. Hæ ſunt duæ Columnæ Templi, quarum
vna *Directio*, altera dicitur *Fortitudo*, ab Hebræ- 3. Reg.
is *Iachin & Boez* nominatæ. Eſto igitur Pacis
amator; imò & celotypus, quia Nympha eſt quæ
mirã fulget ſpecie, miro candore, de qua dicebat
S. Auguſt. *Hanc qui tenet teneat, qui non habet ex-* Gen. 8.
*quirat, ſi Dei Filius eſſe aueat.*

Hanc Tibi hic repræſento ſub ſymbolo Rami
virentis Olivæ, quam Columba attulit olim ad
Arcam ſub veſperam, & eius Directori Noëmo
conſignavit læti nuntij lætum ſignum, Tu igitur
non abſimiliter advoca ad Aram, quæ Tibi inter
varios iam fluctus regenda committitur, Colum-
bam Candidam, quaſi Pacis Caduceatorem & Le-
gatum, vt cum Ramo virentis Olivæ aduentet, &
omnia Tibi fauſta proſperaque nuntiet, Teque
dirigat iugiter, donec calcatis fluctuum volumini-
bus, eius ductu cũ Arca tibi concredita & Filijs tu-
is in ea navigantibus, ad ſolidi littoris ſecuram
pertingas ſtationem.

Sed quandoquidem de Pace etiam publica hic
mentio facta eſt, quam inter tot turbulentas cla-
des Orbis affectat maximè, audiat Deus poſtre-
mum hoc pro illa votũ meum ad ſe directum, ver-
ſuque expreſſum, nec à propoſito noſtro alienum:

*Turbida Neptunus cum Pallade bella ciebat:*
*Aſt OLEA inuentá Palladis arte, fugit,*
*Tu Patris Æterni Sapientia: Pallade maior,*
*Effera RAMO OLEÆ bella fugare potes.*
*Neptunus ſileat, ſileat Mauortius ignis:*
*Fraterno ſatis, heu, ſanguine prata madent.*
*LILIA iunge AQVILIS, & LILIA iunge LEONI,*
*Fœdere ter ſancto TRES venerentur APES.*

---

Anagramma,

BARTHOLOMEVS DE BOSSVTO
OB SOLEM, VT THus ARBOS DEO.

*Xenium Secundũ. Arbor thuris odoriferi.*

*Sole ſub æſtiuo ſuauem* THus *ſpirat odorem,*
*Quando ferax cortex premit aroma ſuum.*
*Ille liquor Thuris ſacer eſt pro Numine Diuum:*
*Gignitur ipſe ſolo, paſcit odore polum:*
*Iam Tibi* SOL *flagrat, ſic Tu fragrante liquore,*
*Cordeq; Thurifero, perge placere Deo.*
*Soli namque Deo Thuris ſeruantur honores:*
*Thure quoque iratus flectitur ipſe Deus.*
*Eſto* ARBOS THURIS, *rorem ſub cortice cor[illegible]ns,*
*Qui placat ſuperos gratos odore choros.*

Ferun-

*Syntagma ex ſacris litteris, & Sanctorũ Patrum dictis.*

FEruntur Dij olim elegiſſe Arbores cultui ſuo dicandas ſpeciali. Ioui placuit Quercus & Æſculus, quæ fronde ſalubrem vmbram, glande cibarium panem priſcis præſtabat, ante vſum migmatis, triticeæque ſementis. Hinc Emblema priſcum:

*Alciat. in Emblem.*

*Grata Ioui eſt Quercus, qua nos ſeruatque fouetque.*
*Seruanti ciuem querna corona datur.*

Apollo Laurum ſibi ſacram voluit, quæ ſemper vernans, nec terretur à fulmine, nec torretur ab vredine. Laurea exinde corona donantur doctrina conſpicui, quaſi Apollinis Myſtæ.

Plutus inferorum Deus elegit Cupreſſum, quæ & funeſta & fatalis arbor dicitur, quod ſuccisa non regerminent; ideoqúe tumulis mortuorum circumponitur:

*Funeris atra mihi ferali cincta Cupreſſu.*

Bacchus Vitem & Hederam ſibi deſignauit; ideò Hederigeram eum Poëta vocat, & ſic inuocat:

*Bacche racemiferos Hedera redimite capillos.*

Pan Deus Paſtorum elegit Pinum, Hercules populeos ramos, Minerua Oleam, Venus Myrthum, Iuno Iuniperum. Harum arborum fronde tempora cingebant Deorum horum ſacris operantes. Æſculo coronabantur qui Ioui, Lauro qui Apollini, Cupreſſo qui Plutoni, Hedera qui Baccho ſacrificabant. Sic teſtatur ſacer textus de Iudæis: *Ducebantur cum amara neceſſitate in die natali Regis Antiochi ad ſacrificia, & cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur Hedera coronati Libero circuire.* *2. Mach. 6.*

In hac Deorum electione Arbos THVRIS communis videtur relicta; nam omnes gentes ſacro ritu Thus quibuslibet Dijs ſuis adolent; Thurisqúe honos agnitæ Diuinitatis Symbolum eſt: Hinc illud Poetæ:

*Templa tibi ſtatuam, ſoluam tibi Thuris honores*

Sed an fortè Deus noſter THVS repudiat? Immò in priſca lege illud crebrò ſancit offerri, *vt ſit Memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino.* Sic nec Similagineum Sacrificium erat ſine Thure; nec Panes propoſitionis, nec Primitiarum oblatio. Dei quoq; iuſſu Altare Thimiamatis erectum eſt, in quo Thus alijs odoramentis miſtum veſpere & mane cremabatur in Altari aureo, ante velum Sancti Sanctorum. Referunt etiam Hebrei inter Templi miracula, incenſi Thuris fumum ſic ſemper aſcendiſſe, vt numquam deſcenderit, quo ſignificatum autumant. Cœlo fuiſſe Deoque gratiſſimum. Certè omnia penè ſacrificia ſicut SALE; ſic & THVRE condiebantur; Sale deſignante diſcretionem, Thure odorem. *Exod. 30. Leuit. 2. Leuit. 24*

Quid de noua Lege? Nonne Chriſtus, vt AVRO Rex, & MYRRHA Mortalis, ita & THVRE Deus agnoſci voluit à Dynaſtis Orientalibus?

*Iuuencus Presb.*

*Aurum, Thus, Myrrham, Regiq; Hominiq; Deoque, Dona ferant.*

Hunc Thuris honorem invidentes iurati hoſtes, quaqua via cogebant Chriſtianos illum transferre ad Deos ſuos factitios, fictitiosque; pauculis ex Acerra granulis, de eorum vel inuita manu, in Arulam flammeſcentem iniectis. Nicomediæ cum multa Chriſtianorum millia in Eccleſiam die Natali Chriſti conveniſſent, diuinum Solem in Oriente ſuo adoraturi; iuſſit Diocletianus ianuas occludi, & ignem circumaccendi, Tripodemqúe præ foribus poni, clamante Præcone, vt qui ignem effugere vellet, foras egrediens Ioui Thus adoleret. Sed cùm omnium vna vox foret potiùs ſe mortem ſubituros, igne abſumpti, illo die naſci metuere in cœlis, quo Chriſtus in terris. Inſtar Thuris odoriferi ſeſe obtulêre igni, vt hoc ſacro Thymiamate corporum & animarum agnoſcerent & adorarent Deum recens natum, certi ſe inſtar Phœnicis ex cineribus ſuis nouam vitam, eamque perennaturam, reſumpturos. *Martyrol. Rom. in Natal. Dom.*

Sed vt quid hæc tam alto repetita principio? Vt luculentum ſit Thuris Arborem & fructum omni æuo Deo fuiſſe ſacrum, Cœlo gratum, orco odioſum. Non minus enim ejus ſuffitus & odor omne genus dæmoniorum extricat, quàm fumus jecoris Tobiani piſcis. Thus ſcilicet ſymbolum eſt deuotæ mentis & in oratione ardentis, quæ à ſe diſpellit dæmonium, *& dirigitur ſicut incenſum in conſpectu Dei, atque aſcendit ſicut Virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ & Thuris.* Ideò Sanctus Ioannes vbi vidit in cœlo Thuribula & Phialas plenas odoramentorum, intellexit eſſe corda & orationes Sanctorum. *Tob. 6. Pſ. 146. Cant. 3. Apoc. 5.*

Propter hæc omnia, REVERENDE PRÆSVL, in Anagrammate, quaſi Nominis tui fauſto omine, Arbori Thuris ſub Solis fulgidi feruentibus radijs fructificanti Te aſſimilatum volui, optans illud Tibi convenire quod inter encomia cuiuſdam Præſulis canit Sapiens: *Quaſi flos roſarum in diebus vernis: & quaſi lilia in tranſitu aquæ: & quaſi thus redolens in diebus æſtatis.* *Eccli. 50.*

Hac velut Triplici è florido Sponſi Horto collecta Corolla, verticem tuum adornatum cupio in die benedictionis & inaugurationis tuæ. Quid verò melius optabiliusque vouere valeam. Roſis, Lilijs, Thuris fronde & odore? De Roſa audi Poetam:

*Roſa Flos odorque Diuum,*
*Roſa Cœlitum voluptas,*
*Decus illa gratiarum,*
*Roſa prima cura Veris.*
*Cum Vere Patre Florum*
*Socianda laus Roſarum.*

Tua ad Præſulatum electio facta eſt ineunte Vere, vt poſſit verè de Te Dominus dicere: *Super ipſum efflorebit ſanctificatio mea.* Hæc Sanctificatio *Flos eſt Roſarum in diebus vernis*, animum reddens vernantem, & purpureo colore fulgidum. Cœnobium tuum etiam in tranſitu aquæ ſitum eſt, & Lilijs conſitum *Solitudo eſt germinans Lilia.* hoc eſt animas candidas & puras, illi gratas *qui paſcitur inter Lilia.* Denique electionis tuæ confirmatio æſtiuo facta eſt tempore, vt fias per benedictionem ſolen- *Iſai. 35.*

nem

nem, *quaſi Thus redolens in diebus æſtatis.* Arbor THVRIS icta à Sole æſtiuo ſuauem expirat odorem, ſuauemque ſine inciſione emittit liquorem, quaſi primigenias lacrymas, Sole illas ciente. Quid dicam? Nónne Sol iam tibi irradiat? Nónne fla_tat ſuper caput tuum, vt Thuris fragrantiam ſuis elijciat radijs? Eſto ergò ſacer Soli, eſto ſacer Deo, quaſi Arbos Thuris. Ab accenſo per Solem diuinum in te pietatis ardore aroma coaleſcat, quod totam tuam poſſit perfundere domum, odore nitidæ vitæ, rore cœleſtis gratiæ, fruge virtut s omnigenæ. Hoc rore & odore omnes noxios humores putidosque mores fugare valeas, & dicere illud Sapientiæ:

*Iſa.Ei.* *Ego quaſi Thus non inciſum vaporaui habitationem meam.* Odor pietatis, *Chriſti bonus odor eſt omni in loco,* Cœlumque ſuâ imbuit, inſtar Thuris accenſi, fragrantia.

*Sic decet igne ſacro Cor Præſulis Thuris adinſtar,*
*Ardeat, & fumum tollat in Aſtra ſuum.*

Peropto igitur, & rurſum repeto & voueo, vt ita totus ſis ex THVRE compoſitus, ſuaueque redolens, vt poſſimus dicere de Te: *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor Thuris.* Certè ſi ſenſerit fragrantiam veſtimentorum tuorum Æternus Pater (à quo benedictionem expectas vt Jacob ab Jſaac, cum pellitis manibus & veſte Primogeniti; non tamen furtim & ſubreptitiè vt ipſe, ſed palam & cum ſolennitate) Æternus, inquam, ille Pater eamdem impertietur benedictionem, quam alter Pater

*Eccli.24.* terrenus prophetico obtutu & lumine: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

---

*Xenium Tertium Diplois iuſtitiæ & honoris.*

Inſcriptio. DILIGE IVSTITIAM.

## EPIGRAMMA.

*Si Deus ille Tuus Te præ conſortibus vnxit,*
Indue Lætitiam, dilige Iuſtitiam.
*Ps.44.* *Hanc Tibi dat Sponſam Lituus, Veſtisq; decoris,*
*Iſa 26.* *Quæ Fratrum in medio Te facit eſſe Ducem.*
*Baruch.5* Dilige Iuſtitiam, *iunget ſe gratia, veram*
*Lætitiam pariens:* Ros *Tibi* Lucis *erit.*
Dilige Iuſtitiam, *priſcum Tua* Laubia *Nomen*
*Geſtet* Iuſtitiæ PAX, Pietatis Honor.

*Syntagma ex ſacris litteris, & Sanctorum Patrum dictis.*

QVomodò Titulum iſtum honorificum promeruerit LAVBIA iam ex antiquis temporibus, illi notum erit, qui rememorarit quàm ferax olim fuerit Virorum eruditione & pietate præſtantium, in ſanctitate & iuſtitia Domino ſeruientium. Quænam pars Belgici Orbis ignorat Vrſmarum, Erminum, Abelem, Theodulphum, Amoluinum, Vulgiſum (Viros pietate & doctrina florentiſſimos, & in Sanctorum Album relatos) hoc in Cœnobio reſediſſe vt Præſules? Quis ignorat eos non ſolùm illic ſemen ſacrum Religionis ſeuiſſe, ſed etiam in Flandria, Theoracia, Fania, Gallia, Belgio, ſeſe magno zelo, maximoque cum fructu, infidelium conuerſioni impendiſſe, & errantium reductioni? De his canere poſſum:

*En tibi iam varijs ſectis diſſecta, reſecta.*
*Belgica terra tuos qui te genuêre Parentes:*
*En Proavos, Abavosq; tuos, quos vna beauit*
*Relligio, Latio quam Cœli Clauiger olim*
*Intulit, ac noſtrum pariter diffudit in Orbem.*
*Quid dubia incertis erras ambagibus? Iſtos*
*Et fidei, & vitæ morumq; imitare Magiſtros:*

Certè de ipſis verum eſt illud Sapientis: *Collaudabunt multi ſapientiam eorum, & vſque in ſæculum non delebitur.* Eorum corpora, tamquam Parentum ſacratiſſima pignora, Eccleſia Collegiata in Bienchio adſeruare ſolet cum honore, illuc è Laubijs certis de cauſis translata Præſulis & Cœnobitarum Laubienſium aſſenſu. *Eorum memoria ibi in benedictione eſt, & oſſa pullulant de loco ſuo,* germinantque varia beneficia pijs frugifera. *Eccli.44.* *Eccli.49.*

Meritò ergò Tibi nomen eſt, ô *LAVBIA SANCTA, Pax iuſtitiæ, Pietatis honor.* Tanta enim fuit Pietas alumnorum tuorum, vt communi conſilio iam ab olim ſancitum fuerit, ne quis eorum intra Templi Clauſtrique tui limites depoſitionem habeat & ſepulturam, ne fortè miraculorum gloriâ fulgens, det occaſionem incolis immutandi nomen quod tibi primitus inditum eſt, COENOBIVM S. PETRI. Huius Clauem duplicem pro Symbolo ſacro geſtas, & illud ipſius Os QVOD SVRAM FEMORI CONIVNGIT, de ſacratiſſimis eiuſdem Reliquijs perhonorifi è adſeruas in Lipſanis pretioſis; quod pretioſiſſimum eſt omnium eorum quæ poſſides. Donatum verò fuit B. Vrſmaro apud Apoſtolicam ſedem Legatum tunc agenti Os iſtud, per Ioannem Sextum, Romanæ Sedis Orbisq; totius Pontificem Maximum, vt Clauiger Cœli Te ſibi in perpetuam Hæreditatem vendicaret, agnoſcens apud Te ſacratum illud de corpore ſuo pignus: Tuque viciſſim illum iugiter agnoſceres PROTECTOREM TVVM ET PATRINVM, à quo Nomen iſtud inviolabiliter haberes, S. PETRI COENOBIVM. Repeto igitur propterea Tibi illud Prophetæ Baruch: *Exue te ſtola luctus & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi eſt, ſempiternæ gloriæ. Circumdabit te Deus Diploide iuſtitiæ, & imponet Mitrã capiti honoris æterni.* *Baruch.5.* Si audire volueris vocem Petri Patroni tui, & vocẽ Benedicti Patris tui, eorumq; veſtigia ſectari firmiter reſolueris, quocumq; turbine & vexatione infeſtâre, *Nominabitur tibi nomẽ tuum à Deo in ſempiternum: Pax iuſtitiæ, & Honor pietatis,* Licet ergò bellorum iniuria, & temporum varia procella, plurimum ſint Religionis decori & quieti infeſta, ita vt multæ Familiæ Religioſæ ſibi iam illud nomen apud Iſaiam expreſſum poſſint aſſumere, *Paupercula tempeſtate conuulſa:* tamen numquã deſerere debent nomen illud glorioſũ, *Pax iuſtitiæ & pietatis Honor.* *Iſa 54.* Quia debent ſemper illud Prophetæ attẽdere vt verificetur de ipſis: *Vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum, & ædificabunt* *Gen.17.*

*bunt deſerta a ſaeculo, ruinas antiquas & diſſipatas erigent, fundamenta generationis & generationis.* Sane benedictionem accipient à Domino, quicumque ſunt *de generatione quærentiū Dominū, quærentiū faciem Dei Iacob.* Si luctentur vt Iacob, cum illo in nocte illuni; in aurora invenient benedictionis lucem, quæ diſſipare valeat caliginem, & eos innouare ac reuocare in priſtinum ſplendorem & decorem, exuta luctus & vexationis ſtola.

Sed hæc ſatis ad ſponſam tuam LAUBIAM, Reuerende Præſul, quam in die celebri inaugurationis tuæ, ſacro deſponſas Annulo, dextræ tuæ inſerto in ſymbolum fœderis æterni & fidelitatis inviolandæ. Ad Te autem maximè ſpectant, & ad Te diriguntur quæ ad Sponſam diriguntur, quia illius & Sponſus, & Pater es, & Tutor, & Caput. Tibi ergo dictum hodie cenſe illud: *Indue te decore, & honore eius quæ Tibi à Deo eſt ſempiterna gloria. Circumdato te Diploide à Deo iuſtitiæ, & impone capiti tuo Mitrā honoris æterni* Quænā eſt DIPLOIS IUSTITIÆ, niſi veſtimentū virtutis omnigenæ, per iuſtitiam ſignificatæ? Hæc Diplois iuſtitiæ vbi repræſentatur per Pallium Abbatiale, quo circumueſtiris, quodque ſic ſemper gerere te decet, vt ſis memor Dignitatis Tuæ, Iuſtitiæque erga Deum, erga ſubditos, erga te ipſum conſervandæ ſic *Myrrha, gutta, caſia defluent à veſtimentis tuis,* in odorē ſuavitatis cunctis ad Te accedentibus. (Pſ. 44.) Deſignatur etiam per *Veſtem Poderis,* cū qua ſtas, coram ſacrorum Hierarchia in die Tuæ Benedictionis quâ profiteris Te optare ſic indui benedictione, vt ad Pedes vſque pertingat, hoc eſt ad finem vſque vitæ, vt ab illis diſcernaris de quibus Regius Propheta: *Operiantur ſicut Deploide confuſione ſua* (Pſ. 102.) Quid igitur vltra dicam, niſi id quod iterum Propheta Baruch? *Animæquior eſto, exhortatur enim Te, qui te nominavit* (Baruc. 4.) Si iuſtitiam dilexeris & oderis iniquitatem, aderit Tibi qui vocavit & nominauit Te Dominus Deus tuus, Adoret, vt iuuet Te ad colendam & comendam Sponſam tuam, ad adornandam Spartam tuam. Exhortatur enim Te ad illud, & propterea nominavit Te & vocavit, ardenter deſiderans imponere capiti tuo *Mitram honoris æterni,* & nominare tibi nomen cum Sponſa tua: *Pax iuſtitiæ, Pietatis honor.* Exhortatur etiam Te ad idipſum S. Petrus, cuius Clavem duplicem geris inter Symbola tua Abbatialia. Exhortatur Te S. Benedictus, qui legem tibi tradidit & commiſit, quaſi Virginem quam vult eſſe intemeratam; cuius & Tutor eſſe debes & Cuſtos zelotypus pro eius obſeruatione & incorruptione forti & excelſo animo decertando. Quod ſi feceris, Tibi in præmium benedictionem & vitam perennem repromittit. Efficias igitur vt ſubditi tui *ambulent in verbo Sācti, gaudentes in honorem* Dei, (Baruc. 4.) ſemper eſto memor dicti illius apud Sapientem (Prou 6.) *Mandatum lucerna eſt, & lex lux: & via vitæ increpatio Diſciplinæ.*

---

Inſcrip, SVRSVM VELOCITER TENDO
EPIGRAMMA.

*RHEDA ſolet Magnos in Templum ducere RHEDAM* (Xenium Quartū Quadriga ſalutis.)
*Offero, ſi ſcandis, ſpondeo Magnus eris.*
*MAGNVS eris, Cæliq; celer properabis in Arcem*
*Nec facient vllos obuia ſaxa moras.*
*Virtutum Currus, quibus eſt à Cardine nomen,*
*Æterni Templi limina certus adit.*

SOlent Magnates Rhedis & Quadrigis per cōpita vehi, vt ſint à turba ſemoti, à pluvia tuti, a luto & laſſitudine immunes. (Syntagma Ex ſacris litteris, & Sanctorū Patrum dictis.) Etiam illis vtuntur ad oſtentationem gloriæ, ac fortitudinis; ideo in bellis olim Quadrigarum vſus frequentiſſimus fuit. Sic de Turno canit Heroicus Vates, *Æn.* 12.

*Poſcit equos, atque arma ſimul ſaluoq; ſuperbus*
*Emicat in currum & manibus molitur habenas.*

Propterea etiam Zachariæ Prophetæ in viſione oſtenduntur ad prælium paratæ quatuor Quadrigæ! *In quadriga prima equi ruſi, in ſecūda equi nigri in tertia equi albi; in quarta equi varij & fortes.* (Zach. 6.) Propheta quoque Nahum bellum imminere ſignificans, ſic eloquitur: *Vox impetus rotæ, & equi fermentis, & quadrigæ ferventis, & equitis aſcendentis, & micantis gladij, & fulgurantis haſtæ.* (Nahū 3.) Quaſi diceret cum Poeta quadrigarum prælіantium fervorem deſcribente:

*Volat vi feruidus axis.*
*Iamque humiles, iamque elati ſublime videntur* (Virg. Georg. 3.)
*Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras.*

Quin & ipſi olim Dij Quadrigis inſidentes pingebantur, ad eorum indicandam magnificentiam: Apollo cum radiante Corona, Neptunus cum Tridente, Iupiter cum Fulmine, Mercurius cum Caduceo ſuo, in pompa circumducebantur in ludis Circenſibus.

Nota eſt etiam ſacris in litteris Quadriga ignea Eliæ, qua in cælum vectus eſt. (4. Reg. 2.) Atque apud Iſaiam, vt Eccleſiæ nouæ gloria deſcribatur, dicuntur ad eam adduci filij eius inclyti, *in equis, & in quadrigis, & in lacticis, & in carrucis.* (Iſa. 66.) Nempè, non ſolum viles & humiles, ſed etiam Nobiles & Optimates ad Fidem & Eccleſiam ſanctam adducendi ſignificantur cum magnificis ſuis Curribus & Rhedis. Certè Candacis Reginæ Eunuchus, ſuper gazas eius vniverſas Præpoſitus, Rhedâ vehebatur, dum eum ad Fidem & Baptiſmum Philippus adduxit. Nec Rhedam deſeruit, *ſed ibat gaudens per viam,* (Act. 8.) ſuâ Quadrigâ vectus, gaudens ſe reperiſſe veram viam, illumque de quo ſcriptum eſt, *Quadriga tua ſaluatio.* (Abac. 3.)

Non immeritò igitur ego in die inaugurationis tuæ ad Sacrum Principatum, QVADRIGAM Tibi offero, Tuæ congruam Dignitati & Principatui, vt hanc conſcendens immunis fias à pedum

dolore & laſſitudine, à luto & pulvere, à pluuia & turbine, gaudẽſque incedas per viam quæ ducit ad vitam. Hâc etiam vectus poteris tutus prælium inire, victoriamque contra hoſtes conſequi, ac in Ciuitatem cæleſtem ouans introire. Hanc QUADRIGAM fabricavit ille qui in Euangelio appellatur *Fabri filius*. Habet autem quatuor rotas, *in quibus eſt ſpiritus vitæ*, quatuor *Columnas argenteas, cũ Reclinatorio aureo, & Aſcẽſu purpureo*, quatuor, Equos perniciosiſſimus, ſemper in ſublime tẽdentes. & vndique oculatos, anfractuoſa confragoſaq; itinera facile diſcernentes & ſuperantes. Hi Equi, hæ Columnæ, hæ Rotæ, quatuor ſunt Virtutes Cardinales. *Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo* quibus omnes Mortalis huius viæ anfractus & obices poteris peruadere, & in Cæli Regiam cum radiante Corona & Mitra, cum Caduceo Pacis, cum *Virga directionis & æquitatis* certò tendere, ſecurè pertingere. Ab hac QUADRIGA Tibi ſalutatio.

Ezech. 1.
Cant. 3.

Ps. 44.

Hæc eſt illa Rheda Quadri juga, quæ S. BENEDICTUM, Parentem tuum, evexit ut alterum Eliam, & per viam luminaribus coruſcam, pretioſiſſimo Pallio exornatum duxit, præeunte & inclamante cæleſti Præcone: *Hæc eſt via, qua dilectus Domini BENEDICTVS in Cælum conſcendit.* Hanc eamdem viam inire potes, ſimilemque conſequi lucem & eodem amiciri Pallio.

Per IUSTITIAM enim & zelum, quem induere debes pro Domo tua & Domo Domini, alter Elias, aut Elizeus, eſſe potes, & Hæres fieri Pallij Patris TUI BENEDICTI, ſimulque *Spiritus eius duplicis*. Per illum Te & Tuos calcatis Iordanis fluctibus volubilibus in Ieruſalem cæleſtem perduces, ad viſionem æternæ & ſolidæ Pacis, vbi repoſita eſt *Corona iuſtitiæ, quam reddet iuſtus Iudex his qui bonum certamen certarint, curſum conſummarint, fidem ſeruarint.*

2. Tim. 3.

Per PRUDENTIAM, Tuæ aliorumque ſaluti proſpicies, quaſi Triplici oculo præditus, Præterita, Præſentia, Futura intueberis, & agnoſces quomodò præterita recogitanda ſint, præſentia ordinanda, futura prævidenda, ut illis provideatur Sic ſcies *quomodò Te oporteat conuerſari in domo Dei, in Eccleſia Dei viuentis*, ut loquitur Apoſtolus, Nam quandoquidem, ut verbis S. Hieronymi utar, *in Te omnium oculi dirigantur, domus tua & conuerſatio, quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra debet eſſe publica diſciplinæ*, PRVDENTIA quoque Te inſtruet quomodo oporteat cum puſillis & infirmis converſari, illis condeſcendere, rudes & duros emollire, omnibus omnia fieri, ut omnes tibi ſubditos lucrifacias: ac pio artificio eorum animos penetrare ut ad optima impellantur. Deniq; lumen prudentiæ ſic pedes tuos diriget, ut nihil temerè vel inconſultè aggrediaris, nec præcipiti greſſu procedas, ne impingas aut aberres, ſed *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*.

1. Tim. 3.

Hier. ep. 3.

Prou. 4.

Per TEMPERANTIAM (quæ in hac Quadriga & Rheda non infimum tenet locum inter Equos & Rotas) moderamen & frænum adhibere poteris blandimentis huius ſæculi, nos illectantibus & excæcantibus, ut exorbitare faciant: & à via regia aberrare in diuerticula & curvas ſemitas Per hanc ergo fiet vt in proſperis non molleſcas, nec exeres nec ibi vitam beatam felicemque conſtituas ubi nõ eſt: *Non eſt hæc*, inquit quidã Sapiens *beata vita*,

*Fulgentes manibus videre gemmas,*
*Aut auro bibere, & cubare cocco,*
*Regales dapibus grauare menſas.*
*Sed nullos trepidum timere caſus,*
*Nec vano populi fauore tangi.*

Hæc eſt beata vita, compeſcere animi noxia vota, & rectæ rationis, Continentiæque ac Temperantiæ habenis ſeſe vbique regere & moderari inter cupiditates huius ſæculi.

FORTITUDO faciet ut adverſis non frangaris, & benè inchoata generoſo animo perficias & proſequaris:

*Nam velut è mediis conſurgunt lilia ſpinis,*
*Sic virtus ipſis creſcit ouatque malis*

Poteris ergo per illam præliari prælia Domini cum *Equis illis Nigris* apud Zachariam, ad bellum paratis, & ad curſum ephippiatis: quos non inſulsè dixerimus deſignaſſe Viros fortes Ordinis S. Benedicti, pro cauſa Dei & religione forti animo certátes; ſicut & alij Equi albi, vel rufi, aut varij coloris, alios deſignant Religioſos, qui veſte candida vtuntur, vel ſubrufa, vel diverſi alterius coloris. Nam omnes illi ad hoc contendunt, vt Dei gloria promoveatur, & in idem vna mente conſpirant, diverſi licet veſte. Sunt enim velut bellatores varijs baltheis & paludamentis in cohortes diſtincti, ſub eodem tamen & Imperatore & Rege.

Harum itaque Virtutum Rotis Equisque velocibus opto te feliciter vehi, quaſi Cherubinis oculatis Dei Currum trahentibus, quem in æternum Templum certò producunt. Vel vt cum S. Cyrillo loquar: *In his Virtutũ quatuor Anchoris firmi ſimul in portu ſapientiæ ratem fige, nec vnquam mundanæ tempeſtatis fluctibus eludi poteris, aut elidi.* Pro Coronide adjicio, quod & haſce Virtutes Pedum Abbatiale à Te requirat, cuius ſignificationem ſtylo veteri, & leonino verſu quidam ſic deſcripſit: Ezech. 1.

*En Baculi forma* Præſul, *datur hæc tibi norma*
*Attrahe per ſummum, medio rege, punge per imũ,*
*Collige, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.*

---

Inſcriptio. AD MVLTOS ANNOS. Xenium Quintũ Ramus palmæ Longæui

EPIGRAMMA.

AD MULTOS ANNOS *Tua ſit benedictio: Verè*
*Tunc erit* AD MULTOS, *quando perennis erit.*
*Quod breue eſt cui ad multos non manet Annos:*
*Quid noſtris annis paucius eſſe poteſt?*
*Sed paucos Annos multis Virtutibus imple:*
*Sic nec erunt pauci, ſic nec eruntque breues.*

Non

*Syntagma Ex ſacris litteris, & Sanctorum Patrum dictis.*

NOn immerito hic inquiri poſſit, cur in die ſolenni ſacræ congregationis Præſulum, inclamare ex ritu benedictionis ſacro moneantur, AD MULTOS ANNOS, AD MULTOS ANNOS. Certè omnes cuiuſcumque ſortis Mortales illud cum Iob meritò pronunciant: *Numquid non paucitas dierũ meorum finietur breui?* Vbi ergo ſunt Multi anni; Aut multos quomodò nobis promittimus? Sed etiam de noſtris quid Sapiens cenſeat Annis, diſertè expreſſit, dũ ſic ait: *Numerus dierum hominum quaſi gutta maris deputata ſũt: & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui* Quid clarius nobis dicere poterat? Nònne & ipſe Patriarcha Iacob de annis & diebus peregrinationis vitæ ſuæ aſſerit, *Parvos fuiſſe & malos*, hoc eſt paucos, & tamen multis ærumnis refertos? O dies, non dies qui fuligine angoris & afflictionis pleni ſunt! Noctis ſanè potius nomine quàm diei ſunt digni dies illi & anni, quos Sol lucidus non illuſtrat proſperitatis ſplendore, ſed mœrore adverſitatis obfuſcant ac denigrant caligo & tenebræ. De his poſſumus dicere illud Iob: *Non cõputentur in diebus anni, nec numerẽtur in menſibus quandoquidẽ inuoluãtur amaritudine, & eos tenebroſus turbo poſſideat.* Sed quales, quales ſint Anni noſtri, brevis eſt omnis huius vitæ lõgæuitas. Quid enim eſt hæc vita, niſi ad ſepulchrum via; Vita noſtra ad mortem currit propero greſſu, etiam inuita. Quod maturè conſiderans quidam è Sanctis dixit:

*Iob. 10.* *Eccli. 18.* *Gen. 42.*

*Ipſum quod viuo, eſt veluti rapidiſſimus amnis*
*Qui ſurſum exoriens ſemper ad ima fluit.*

Quid de his quoque qui in dignitate ſunt, cenſeat Sapiens, an requiris? Ne ſibi fidant hoc eis vult inculcatum & cordi adpreſſum: OMNIS POTENTATUS BREVIS VITA. Quam multi Infulis & Pedo inaugurati, vix illis fruiti, mortis pede hinc ſunt expulſi? Heri venerunt, hodie coacti ſunt egredi. Hinc in quodam Epitaphio ſuo quidam Præſul, probè Belgis notus, ſic Mortales alloquitur de ſe, vno dumtaxat menſe Pallio & Cidari Archiepiſcopali adornato:

*S. Gregor Naz.*

*Sum Cameracenæ geſſi qui pondera Mitræ;*
*Aprilis poſuit, Maius & illa tulit.*

Immò in ipſo ſupremo Eccleſiæ faſtigio poſitis inclamari ſolet in die Coronationis: *Non videbis annos Petri.* Id autem verum eſſe mille & ſexcentorum annorum docuit experientia. Ad annos enim Petri nemo adhuc ſucceſſorum pertigit in ſupremo culmine & regimine. Quod ſi huius rei rationem expoſcis, audi B. Petrum Damiani. *Hoc cæleſtis iudicii ordo diſponit, vt humano generi mortis metum incutiat, & quã deſpicienda ſit vitæ tẽporalis gloria, in ipſo gloriæ principatu euidenter oſtendat: quatenus dum præcipuus hominum tam anguſti tẽporis cõpendio moritur, tremefactus quiſq; ad præſtolãdi ſui obitus cuſtodiã prouocetur, & arbor humani generis dum cacumẽ & verticem ſuum tã facilè corruiſſe conſiderat flatu cõcuſſa formidinis, in ſuis vndique ramuſculis contremiſcat.* Hæc piè & eleganter B. P. Damiani. Sanè eos qui in Dignitatis ſublimitate ſunt collocati non parũ movere debere multorum brevis vita Pontificum, quorum multi tres tantum annos, alij unum, aliqui paucos menſes vel dies in ſuprema Cathedra ſederunt, ita ut potuerint dicere cum Tragædo:

*Eccli.*

*Illi qui donat diadema fronti,*
*Res ... eus noſtras celeri rotatas*
*Turbine verſat.*

*Seneca in Thyeſte.*

Dicamus ergo & concludamus, Tempus vitæ noſtræ omninò exiguum eſſe, maximè ſi Æternitati cõparetur: quia *Mille anni ante oculos Dei tamquã dies heſterna quæ præteriit.* Quocirca non tam ad multos annos, quam ad æternos adſpirandum eſt; nec tam ad longos, quàm ad felices & beatos, quos ſibi cælum reſeruat. Interim, REVERENDE PRÆSUL Tibi & hic multos, & ibi beatos apprecans, offero PALMÆ RAMUM, in Symbolum votivum: quia & longæua eſt Palma, & talis indolis, ut vrgentibus opprimentibusque non cedat oneribus, ſed quò magis premitur vel urgetur, eo magis ſe erigit & exaltatur. Ipſa quoque diminutione eorum quæ deorſum ſunt foliorum procera extollitur & increſcit verſus cælum; fitque quaſi fronde & fructu coronata ſuo, folijs eius orbiculariter dilatatis, & ordine quodam ſpecioſo digeſtis Quid plura? *Palma ſemper virens, nunquam marceſcens, crebrò fructificãs, ſuauis eſt ad cibum, vmbroſa ad requiem, honorabilis ad triumphum*, ait S. Ambroſ. illam ergo intuere, Tibi a me conſignatam in ſacrum ſymbolũ roboris oneri haud ſuccumbentis, in ſtimulum heroicæ virtutis, in votum vitæ lõgæuæ & felicis, denique in victoriæ in adipiſcendæ augurium & prognoſticon. Memor eſto illius quod cum Pſalte ſæpe canit Eccleſiæ chorus: *Iuſtus ut Palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi* Opto Tibi iuſtitiã & rectitudinem: opto Palmæ virorem & florulentiam: opto Cedri Multiplicationem & firmam celſitudinẽ opto plantationem & progeniẽ in domo Domini fœcundã: opto deniq; vberem ſenectam & felicem. Hæc omnia verbis prædictis complectitur Pſaltes, hæc omnia etiam noſtro votiuo ſymbolo continentur, hæc quoque omnia illa vox comprehendit,

*Pſ. 89.* *Pſ. 92.*

*Ad Multos annos, ad multos annos.*

Sed nec immemorem Te decet eſſe illius quod Sapiens Iob ſapienter pronunciat, oculos conijciens ad felicẽ mortem, & ſecuturam beatæ vitæ Palmã: *Dicebam* inquit ipſe, *In nidulo meo moriar, & ſicut Palma multiplicabo dies.* Nũquid idem eſt ac ſi ſeriò quæ futura ſunt recogitans, ſe ſic alloqueretur: Quamvis ampla mihi ſint Palatia, amplæ opes & poſſeſſiones, omniaque auguſta; taman non erit niſi Nidulus & Lectulus qui me morientem excipiet, in quo omnia erunt anguſta. Præparabo igitur hunc mihi Nidulum tempeſtivè, in quo pacatè quieſcam, & ſuper hunc Lectulũ ex nunc figã oculos.

*Iob. 9.*

los, ſicque fiet vt ex illo poſtmodum exurgens tā‐quam Palma vernans perenni fronde, inueniam multiplicatos dies meos tota æternitate. Præclara ſanè cogitatio & reſolutio, quæ omnes concernit ſapientes, omnes divites, omnes mortales, omnes ad Æternitatem beatam adſpirantes: non enim ad immortalitatē pertingere valent, niſi per mortis tramitem; nec ad auguſtam cæli Palmam, niſi per Lectuli & Niduli anguſtiam. Hoc autem quod apud Iob mox ſequitur, videtur mihi Prælatos in ſublimi loco honoris & gloriæ conſtitutos concernere:

*Gloria mea ſemper innouabitur:*
Iſaia 28. *Arcus meus in manu mea inſtaurabitur.*

Gloria ſæculi mox defloreſcit, flacceſcit, invetera‐ſcit, & euanida perit: *Erit Flos decidēs gloria exultationis eius, quaſi temporaneum ante maturitatē autumni*. Gloria in Deo ſita, ſolida eſt & florida. In
Iob 29. hac vita florem, in altera fructum parit; hicque in‐
Ibid. choaaa, ibi iugiter innouabitur, nec vnquam imminuetur Sēper vernans eſt, quia *Radix eius aperta eſt iuxta aquas* Semper recens & fructifera, quia *Ros in meſſione eius morabitur*. Semper ſui ſimilis perennat, & nouâ cor lætitiâ afficit, quaſi dietim ſe ſe innouaret. Dei igitur gloriam promovendo, ad illam perennantem adſpirare debent Præſules, per illam noua Cidari, nouaque Veſte Poderis, Gemmis & Infulis novis adornandi.

Tunc quoque *ARCVS inſtaurabitur in manu eorum*. Quis verò ille Arcus; virga Paſtoralis & Arcuata, quam manu geſtant, ſolenni ritu ſeſe repræſentantes. Virga iſta arcuata quid aliud deſignat, quàm munus eorum eſſe, crebrò ſegnes ſtimulare, imbelles ſuſtentare, rebelles pungere & domare, ac velut arcu tōſo, *Sagittas potentes acutas cum carbonibus deſolatoriis in corde inimicorum Regis dirigere*, vt inimici eſſe deſinant, & amici fiant: quique rebellare videbantur, iam pro eius gloria acriter decertent? Hic ergo ARCUS iu eorum manu inſtaurabitur in altero ſæculo, quia Symbolum accipient ſpecialis gloriæ, ſi ſtrenui & vigiles fuerint in ſacro regimine Sic Lituus ille arcuatus, Pedumque Paſtorale, erit tunc in manu eorum inſtar Palmæ ſemper virentis, florentis, fructificantis, ac triumphantis: quia erunt de numero eorum *qui amicti ſtolis albis coram Agni throno ſtant cum Palmis in manibus* laudem perennem decantantes plauſu geniali & triumphali. Concludo igitur, & inſtar Coronidis hunc verſum diſſertationi huic ſuperſcribo pro felici voto:

*PALMA diu viuit, floreſcit, paſcit, obumbrat:*
*Hanc Tibi dum voueo, proſpera cuncta volo.*
*PALMA eſt Victorum: Palmam complectere lætus.*
*Lætus erit ſemper, ſi modò Victor eris.*

*F I A T, F I A T,*

*Chronographicus Verſus.*

Soc Iesu Paderborna

ADMVLtos Annos te LaVbIa patre frVatVr:
Æternos Annos tV qVoqVe ea frVere.

CONCLVSIO.

*Omnis in hoc gracili Xeniorum ſumma Libello*
*Sit Tibi grata, ſimul gratus & illa vouens.*